BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
12 0
35
2907.
II-III-12
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
6 K
164
12
13
14
15

CAMILLI BALDI BONONIENSIS

Philoſophi, & Medici Collegiati, & Publici Profeſſoris Emeriti

De humanarum propenſionum ex temperamento prænotionibus,

De naturalibus ex vnguium inſpectione pręſagijs,

ET

De ratione cognoſcendi mores, & qualitates ſcribentis ex ipſius Epiſtola miſſiua, nunc primùm in latinum ſermonem prodiens


TRACTATVS TRES.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. HIERONYMO CAMILLO BALDO

DICATI.

BIBL. S.PVDEN. DE VRBE



BONONIÆ, Typis HH. Euangeliſtæ de Duccijs. M.DC.LXIV.

Superiorum permiſſu.

HIERONYMO CAMILLO BALDO

VIRO ILLVSTRISSIMO.

PETRVS VELIVS F.

SVmmi in actiuis, & contemplatiuis Philoſophi Camilli Baldi tui minimam mole, at maximam ſapientia Scriptionem De conijciendis ex miſsiua Epiſtola ſcribentis moribus in Latinum ſermonem transferri curaui, vt tranſalpinis gentibus Italicam linguam non callentibus, quæ multis ad hoc precibus me fatigauerant tandem facerem ſatis; illique alios duos eiuſdem Doctiſsimi Viri tractatus addidi, alias æditos, ſed nunc præ inopia exemplarium cupidè

pidè in litteraria Republica deſideratos. Nec diu mihi inquirendus fuit is, cuius nomen propyleo opellæ huius inſcribendum foret, ſiquidem in te, Vir Illuſt.me ſtatim deditiſsimus Tibi collimauit animus. Cui enim noua hæc verſio debeatur, niſi Tibi, cum iure ſanguinis, & hæreditatis in Te eximij huius Authoris omnia confluxerint? Non igitur aliquid meæ offero proprietatis, dum Volumen hoc Tibi nuncupo, ſed reddo ex iuſtitia, quæ tua ſunt; tua inquam magis Virtute, quàm Fortuna, dum litteris faues, bona ſartes colis, & optimum te geris Ciuem, vt agendo, ac ſpeculando vtriuſque impleas Philoſophiæ munera. Accipe igitur hilari fronte, Clariſs. Vir obſequentiſsimæ voluntatis meæ in hoc tuo libello munus; meq; in clientelam ſummæ benignitatis tuæ ſuſcipere ne dedigneris. Vale. Ex Typographeio noſtro VIII. Kal. Februarias M. DC. LXIV.

DE

DE HVMANARVM PROPENSIONVM DIFFERENTIIS, ET CAVSIS.

De Vtilitate huius cognitionis. Cap. I.

QVA ratione humanas complexiones cõ-*gnoſcere poſſimus inquiſitioni propoſitum eſt*; *Vtilis futura cognitio*, & Medico, & naturali Philoſopho, & Ciuili; Humanas enim complexiones, quales eſſe debent cum cognouerit Medicus, tum & quid addendum ſit, & quid demendum apprime ſciet; Philoſophum naturalem decet omnis Veritas, atque ea precipuè, quæ in corporibus naturalibus; reperitur. In ciuilibus notiſſima eſt ſententia, vel Apollinis Oraculo confirmata, Hominem ſe ipſum noſcere debere; ſe ipſum cognoſcet, quando ex quibus ſit, & qualis eſſe debeat, perceperit. Sed & præter hæc Rhetoricæ, ac demum omni vitæ cognitio iſta prodeſſe poteſt, cum enim vnuſcuiuſque temperiem, qualitates, & propenſiones cognouero, & qua ratione cum vno quoque verſandum ſit, & quomodo illum tractare oporteat, cum eoque diſſerere, vt perſuadeatur, & in propriam ſententia trahatur, facile diſcernere potero. Militari etiam, & Politicæ, ſiue illi parti, quæ docet imperio regere populos, & figere leges, proderit, alijs enim alia ratione imperandum eſt, & vt dicebat Ariſtoteles vnumquodque pertractandum eſt, ſecundum quod ipſius ſubiecta natura poſtulat; neque enim omnia poſſumus omnes, & vt terra alia fere alios fructus, vt inquit ille; hic ſegetes, illic veniũt fœlicius vuç: Ita hominum alij alijs rebus aptiores ſunt, omnes omnibus, at

non omnibus ſinguli. Quid igitur ſit nobis propoſitum, & cui rei futurum vtile, ex his patet.

De ratione procedendi, & ordine doctrinæ. Cap. II.

QVærimus complexiones cognoſcere humani corporis, ſecundum quod ipſum corpus organum eſt ad operationes quarum principium eſt anima. A ſignis igitur, quæ ſenſus nobis ſuppeditabit cognoſcemus. qualis ſit ſanguinis maſſa qui in venis reperitur, cognita ſanguinis natura ſpiritus nobis innoteſcent; cum ſciemus quales ſint ſpiritus, tunc etiam propenſiones compoſiti ex anima, & corpore fient nobis manifeſtæ; cum enim à Platonis anima nihil differat ſpecie, ſed penitus ſit eadem, ſecundum ſe etiam, & Socratis, & Platonis anima, eaſdem cauſant operationes, & vtraque principium eſt videndi, audiendi, & concupiſcendi; quod autem melius, aut peius videat, obtuſius, aut acutius audiat, vehementius, aut remiſſius appetat hic, quam ille; ſunt accidentia quæ à materia ex qua conſtant inſtrumenta proueniunt, quibus inſtrumentis anima vtitur ad operationes faciendas, quarum ipſa principium eſt, inſtrumenta enim ſic aut oppoſito modo melius aut peius operantur pro materiæ diuerſitate; duo enim gladij ſecundum formam ſunt idem, vtrique enim acie determinantur, at quoniam huius chalybis melior eſt, ac temperatior, illius minus, ideò hic perfecte ſecat, ille obtusè: Hunc autem ordinem ſeruabimus, qui eſt à principijs ad principiata, & enim inuentis hominis principijs, qualia nam ſint, & quot, quid vnumquodque horum in corpus noſtrum inferat, ad quos morbos, ad quas virtutes, & vitia hominem propenſum faciat, dicemus: Poſt hæc quoniam principia nata ſunt ſimul iungi, ſi contingerit hæc aliàs ſic aut oppoſito modo diſponi, dicemus. Vltimo quoniam ex his ſimul compoſitis fiunt diſſimilaria corpora, quid ſitus quid membrorum figura quid magnitudo, & numerus ſingulorum membrorum doceat, afferemus, ex quibus quid tandem ab vniuſcuiuſque hominis ſpecie, & natura expectandum ſit exponemus. Cæterum hæc cognitio ad eam Philoſophiæ partem pertinet quæ de animalibus inſcribitur, & paſſiones à principijs internis inexiſtentes ipſius comtemplatur.

Quid

Quid ſit Homo, quot ſint eius partes tum animæ tum corporis. Cap. III.

HOmo naturale corpus eſt, idemque viuens, quare organicum; conſtat igitur ex anima, tamquam forma, & corpore tanquam materia; actiones autem paſſioneſque, ac demum penè omnes ipſius functiones ſunt compoſiti ex anima,& corpore; vtitur compoſitum anima tanquam principio,quo agit, corpore tanquam ſubiecto, humana anima potentias habet duas, & viginti; etenim primus animæ gradus, qui dicitur vis vagatiua, ſeptem continet, nempè tres principales nutritiuam, auctiuam, generatiuam; quattuor autem miniſtrantes ſeu ſeruientes nempè attractricem, concoctricem, aſſimiliatricem, & excrementorum expultricem; Nutritiua vtitur calore tamquam præcipuo inſtrumento, humore tamquam propria materia, omne enim agens, & mouens mouet aliquid, & aliquo; auctiua iiſdem vtitur, nam humore vt ſubſtantia nutrimur, vt corpore quanto augemur, vt quali generamus; calorem requirit generatiua cum aeris multitudine,vt enim materia nutritionis eſt terra,& aqua; ſic generationis aqua, & aer; Atrahit idem calor ſecundum quod calidus eſt, at idem ſecundum quod eſt in humido, cibum ſtomacho concoquit, ſi idem ſicco nectatur, in iecore ſanguificat, accedente frigore externo, & calore interno cibum parti annectit; demum ille idem ſiccus calor expellit excrementa; Senſitiui gradus decem ſunt potentiæ, quinque exteriores nempe Viſus qui aquæ aſſignatur. Auditus qui eſt aeris. Olfactus qui ad ignem refertur; & Guſtus & Tactus, quorum alter nempè guſtus terram humidam, tactus autem terram ſiccam referunt; Interiores potentiæ, & ipſæ quinque ſunt, ſenſus nempe communis, in quo tanquam in centro conueniunt omnes externi Senſus, cuius munus eſt recipere, quare in humido conſiſtit; Memoria autem, quod recipit ſenſus communis, retinet, atque hæc ad humidum cum ſicco coniunctum refertur. Phantaſia ignea eſt, cuius proprium eſt diſcernere,& iudicare: Diſcernere autem eſt quoddam diſgregare, diſgregatio caloris actio eſt. Pręter has reperitur,& Concupiſcibilis appetitus, qui in calido, & humido, & Iraſcibilis qui in calido, & ſicco poſitus eſt. Tertia virtus motiua eſt quæ ex appetitu, & phantaſia compoſita eſt, hæc mouet vel totum, vel partes ſecundum naturam; ani-

malis, quæ mouet partes eſt triplex, vel ſimpliciter naturalis; qualis eſt quæ mouet Cor, Arterias, & Cerebrum, vel eſt ſimpliciter ſpontanea, qualis eſt quæ mouet bracchia, crura, & muſculos. Vel eſt mixta ex vtriſque ceu virtus, quæ mouet pulmonem, & diaphragma, & quæ genitalibus ſeruit; Intellectus tres partes habet, aut enim eſt intellectus potentia, aut agens, aut voluntas, & electio. Intellectus potentia diuiditur in contemplatiuum, cuius obiectum eſt veritas, & actiuum quod circa bonitatem verſatur. Animæ partes ſeu potentias enumerauimus quæ vti vna tota totius eſt actus, ita plures potentiæ plurimum partium ſunt perfectiones; & entelechiæ.

De partibus Corporis. Cap. IV.

CORpus quo vtitur anima conſtat ex partibus quarum aliæ ſimilares ſunt, aliæ diſſimilares. Similares dicuntur quæcunque habent idem nomen, & eandem rationem ſecundum totum, & partes, ſeu ex Ariſtotele ſimilares ſunt res, quæ in partes eiuſdem rationis ſecantur vt ſanguis, & aqua; Diſſimilarium ratio totius & partis diuerſa eſt, vt autem diſſimilares conſtant ex ſimilaribus, ita ſimilares ex humoribus, humores ex cibis, cibi ex quatuor elementis; ſimilarium partium definitio conſiſtit, in certa ratione, & temperie elementorum actiuorum, & paſſiuorum; actiua ſunt Ignis, & Aer, reliqua paſſiua. Vſus ſimilarium eſt duplex, alter vt ſint ſedes ſenſuum, ſentire enim eſt pati, ad patiendum autem nata ſunt ſimilaria. Alter eſt, vt ex his fiant diſſimilaria; ſunt autem ex mente Galeni ſimilaria hæc, oſſa, caro, cartilagines, tendines, membranæ ligamenta fibræ, adeps, de quibus Galenus agit in libello, quo ille commentatur Hippocratem de natura hominis; hiſque addit in libro de elementis neruos, medullam, vngues; enumerat etiam in libro de inæquali temperie, cutem, alibi venas, & arterias. At partes diſſimilares figura magnitudine, numero, ſitu determinantur, organicæ omnes diſſimilares ſunt; harum quattuor ſunt gradus, primus qui ex ſimilaribus tantum conſtat, vt Muſculus. Secundus gradus ex primis conſtat, vt digitus. Tertius ex ſecundis vt manus. Quartus, ex tertiis vt brachium; ex his itaque conflatus eſt totus homo ex anima, & corpore conſtans, anima æterna, & immortalis exiſtens, ab alia humana anima non differt ceu nec ignis ab igne; Calefacit, & vrit omnis ignis, ſed non omnis

nis eodem modo, variatur enim pro varietate materiæ, in qua reperitur, & tantum in ipſo poteſt materia, vt qui naturaliter fertur ſurſum, ſi in carbone exiſtat deorſum feretur, ergo clarum eſt diuerſam materiam diuerſimode afficere operationes ab anima manantes; videt omnis habens potentiam viſiuam, at non eodem modo videt, quoniam non eodem modo affectum habet organum. acutius videt cuius oculi, & humor chriſtallinus præcipue, clarior eſt, quibus obſcurior, hi obtuſius vident, & perſpecillis clariorem facientibus chriſtallinum humorem egent; Animæ primum inſtrumentum ſunt ſpiritus, hi ex humoribus in arterijs exiſtentibus generantur, arterioſus ſanguis ex venoſo conſtituitur. Venoſus fit ex chylo, chylus ex cibis, quales igitur ſunt cibi, tales erunt ſpiritus. Porrò nec ſoli cibi alterant ſpiritus, ſed varij ſunt pro varietate temperamenti, ætatis, tempeſtatis, & regionis, Amplius, & accidentia animi mutant eos, & motus, quies, ſomnus, vigilia, otium, labor, venus, ſtudia exercitationes, ſodalitates, inſtitutiones, educationes, ac demum ipſa ratio quæ tanquam nauta gubernaculo inſidens, & totum hoc noſtrum corpus regit; vt ille omnibus imperat remigibus, ita anima rationalis omnibus potentijs præeſt, omneſque inclinationes aut corrigit, aut auget, aut euellit; Quare ſi exemplo naturam huius compoſiti apte intelligere velimus, contemplemur accenſam candelam in laterna exiſtentem, quæ ex diuerſis vitris coloratis ſit conflata, ſunt in hac laterna quatuor, ignis ex quo fluit lumen, amplius fumus ex quo fit ignis, tertio cera ex qua virtute ignis fit fumus; quartò laterna cum ſuis vitris, ex quibus fluit lumen extra ſe ipſum proferens; Anima igni ſimilis eſt, ſpiritus referuntur à fumo, & ſicuti calor iginis continue generat fumum, ita vis animæ mediante calore præcedenti continue generat ſpiritum, qui calor naturalis conſequenter vocatur, at ſanguis, qui in arterijs verſatur cera eſt, aut oleum, aut ſeuum, ex quo inſtauratur continue fumus. Corpus hoc organicum laterna eſt diuerſis vitris coloratis conſtituta, ex oculis viſiua functio, ex auribus auditio, ex alijs membris aliæ fluunt operationes. Patet igitur quod ſi cognoſcemus exactè naturam corporis, humorum, & ſpirituum, propter quid aut ſic, aut oppoſito modo functiones animæ procedant, dicere rationabiliter poterimus.

De primis quattuor humoribus naturalibus humanum corpus conſtituentibus. Cap. V.

SIcuti ex quattuor elementis conſtituitur Mundus inferior, ita & inferioris mundi apoteleſmata ex quattuor proportione reſpondentibus elementis conflantur; Homo ergo, & ipſe cum ſit vnum, & perfectiſſimuum inter mundana Apoteleſmata ex quattuor proprijs conſtabit elementis, in quæ vltimo diſſoluitur. Humores autem ſunt hi, bilis flaua igni proportionata, ſapore acris vt cinamomum, colore purpurea, odore croci, tactui calida, quaſi primo pungens, deinde blando calore tangentis cutim afficiens. Quæcumque autem igni accidunt ſecundum, quod ignis eſt, & quæcumque compoſito in exiſtunt propter ignem ea omnia ſecundum proportionem à bile in humanum corpus referuntur; ſuccedit ſanguis, & ipſe humor ſimplex aeri proport onatus; quare calidus, & humidus colore referens ſaturatam purpuram, ſapore glicirrhizæ ſuccum, odore hunc eundem dum concoquitur repreſentans, calor blandus eſt, non mordax, non acris. ſed maxime temperatus, eoſdemque penitus proportionaliter cauſat effectus in homine, quos in cæteris compoſitis cauſat aer. Hi duo dicuntur actiui humores, nam actiuis reſpo dent elementis. Tertia eſt pituita ſimilis colore loturæ carnis cruentæ, vt ait Hippocrates hæc aqua eſt naturalis, & ſanguis quodammodo inconcoctus, eiuſdemque principium, & rudimentum; ſapor cuius ſubdu cis eſt, color quem diximus, proprie referens folium roſæ ex parte externa, odorem fere nullum habet, nam odor in ſicco poſitus eſt, quod ab humido fuerit paſſum, ſed in pituita minimum eſt ſiccitatis, ergo & minimum odoris, nec ſapor perciperetur niſi naturaliter homo haberet exquiſitiſſimum tactum, ſpecies autem tactus eſt guſtus; Vltimus humor appellatur Melancholia, ſiue atra bilis, hæc terræ reſpondet, quapropter, & ſaporem ſtipticum refert, qualem in immaturis ſorbis, & pyris guſtamus, odor ingratus eſt, qualem propr:e deprehendimus in ſorbis ſemi mucidis; color leoninus eſt, & referens cariophyllorum flores admodum colore rubro infectos, tactu autem non ſecus, atque pituita frigida eſt, magis tamen pungit frigus pituitæ, at frigus quod adfert melancholia diuturnius eſt; quid ſit horum humorum vnuſquiſque, cuique elemento reſpondeat ex his patet; Quod autem tot ſint

nec

nec plura nec pauciora habemus ex *Ariſt.*2. de generatione tex. 49. quinimo, & duabus rationibus confirmatur; harum, prior eſt. Si Homo, & omnino animal corruptibilem refert mundum, cum mundus ex quattuor, ergo & Homo ex iiſdem numero conſtabit elementis. Altera ratio eſt: Homo eſt corpus naturale compoſitum, ergo tangit, & tangitur, agit igitur, & patitur, ergo ex actiuis conſtat elementis, & paſſiuis; ſed actiua ſunt calida, & frigida, paſſiua humida, & ſicca ex his igitur erit, ſed hæc faciunt quattuor elementa, ergo ex quattuor conſtat. Reſtat vt dicamus ex quibus, & a quibus fiant. Ex cibo in ſtomachum detruſo fit chylus, ex quo ablatis fæcibus craſsioribus, & tenuioribus excrementis, fit maſſa quædam in ramis venæ portæ exiſtens, ſi itaq; reperiatur in hac maſſa pars calidior iuſto, & tenuior, ab epate fit bilis, craſſior fit melancholia, frigidior fit pituita; Quæ verò fuerit dulcior, & humidior, efficitur ſanguis; Nec mirum ſi vnum epar diuerſa, & oppoſita facit; nam & idem ignis ceram liquefacit, & limum indurat; Etenim omne agens agit ſecundum quod ſubiecta natura nata eſt pati; Habemus ex quibus, & à quibus humores fiant, qui ſunt actualiter humidi; quoniam ex his alitur & fit corpus, corpora autem ſolida ſunt, & proprio terminata termino; Ideo ex oppoſitis actu, potentia verò ſimilibus partes corporis ſolidæ fieri, & inſtaurari debent. Ex his quattuor humoribus fiunt, & ſpiritus, & ſimilaria corpora; qui ſunt materia propria caloris naturalis, & dicuntur à Medicis humor radicalis, qui per vniuerſum corpus diffuſus alimentum calori, quo primo inſtrumento viuimus, miniſtrat; & hæc eſt pars ſubtilior in quattuor humoribus exiſtens. His ſpiritibus opponuntur flatus vt oleo opponitur aqua; ex parte craſſiori humorum aluntur ſimilaria corpora, quæ quoniam ſunt diuerſa, vnumquodq; attrahit ſimile ſibi potentia diſſimile autem aliquantiſper per actu, ex ſimilaribus fiunt organica, ex partibus organicis totum demum corpus, cuius totius perfectio, ac ratio eſt anima, & ſicuti corpus à ſimili per ſe conſeruatur, & per ſe ab oppoſito corrumpitur; ſic per accidens à diſſimili conſeruatur, & corrumpitur à ſimili; & ſic etiam anima, quæ eſt huius corporis perfectio, ab obiectis, vt veritate, & bonitate perſe perficitur, & conſeruatur, & ab oppoſitis vt falſitate, & malo quodammodo corrumpitur, & læditur.

De Corpore temperato ſimpliciter. Cap. VI.

TEmperatum corpus dicitur quod ex quattuor humoribus ita conflatum eſt, vt exactè omnia ſua munera ad quæ natum eſt, ſine labore, ac dolore perficere poſſit, loquor de humana temperie, quæ eſt quattuor humorum mixtio ad conſtitutionem corporis, quod munia naturalis vitæ exercere poſſit. Temperies hæc duplex eſt, vel enim eſt ad pondus; vel ad iuſtitiam, ea dicuntur eſſe temperata ad pondus, quæ actiua, & paſſiua æqualiter continent; ſed huiuſmodi genus non datur, ſicuti enim vni ſonum non eſt harmonia, ita nec quod ex æqualibus conflatur verè compoſitum naturale dici poteſt; ſi enim actiua, & paſſiua æqualia ſint, nec illa agent, neque hæc patientur agens enim mouens eſt, & omne mouens ſuperat mobile; reſtat igitur, vt detur temperatum corpus, quod à Medicis vocatur æquale ad iuſtitiam, in quo quædā præualent, & dominantur, quædam parent, ſunt autem hæc vel inter ſe harmonicè, & cum ratione mixta, vel ſine; priora temperata dicuntur, poſteriora intemperata. Humani corporis prima temperies eſt inter actiua, & paſſiua elementa, quę refert diapaſon ſiue duplam; ſi ergo erunt paſſiua ſecundum molem vt duo, at ſecundum virtutem vt vnum actiua vero oppoſito modo, fit temperatiſſimum corpus humidum, ex quo aletur Homo; At ſi maſſa hæc ſanguinea in venis exiſtens ita erit diſpoſita, vt referat proportionem quæ eſt inter duo, & tria, quamque appellant Diapente, ſiue ſeſquialteram, corpus etiam, & perfectè aletur, & ſecundum naturam diſpoſitum erit; nempè, ſi paſſiua fuerint vt tria, actiua vt duo; & hæc eſt ſecunda ſpecies temperamenti humani. Tertium locum occupat illud in quo paſſiua ſunt vt quattuor actiua vt tria, Diateſſeron ſeu ſeſquitertiam vocant. Præter has ſunt etiam duæ aliæ conſonantiæ intra ſenarium comprehenſæ, quæ conſtituunt quidem, ac ſuſtinere poſſunt humanam formam ſed intemperatæ dicuntur, qualis eſt Ditonus, & alteruter ſemitonus. Cæterum ſemper ſuperat in maſſa ſanguinea actu humidum quoniam ex humidis alimur, cum enim efficiatur quod alitur ſiccum, neceſſario ex oppoſito fit, quod eſt humidum. Porrò quod ſuperat in maſſa humorum, vel mole ſuperat, vel virtute; pituita nempè, & quæ terræ reſpondet melancholia mole præualent; at ſanguis, & bilis virtute; præualet

autem in homine ſecundum virtutem bilis igni, & aëri reſpondens ſanguis; ſuperant mole aqua, & terra, quæ dat compoſito terminum, quem ipſa habet, ergo in his mixtis omnibus quæ terminantur proprio termino, ſuperat terra mole, quæ alieno aqua. At virtute dicitur ſuperare illud elementum, quod compoſitum mouet ad actionem ſuæ formæ ſimilem; quare ſi in nobis ſuperat ignis mobiles, vehementeſque ſumus, rectaque incedimus. Superare virtute dicitur tripliciter aut quoniam in paſſo vehemens, ac certum remanet veſtigium ſuperantis, & agentis, vt in cinere accidit, aut carbone, in quo non eſt ignis, ſed paſsio ab igne relicta, & hæc dicuntur eſſe calida in primo gradu; in ſecundo autem ſunt quæ habent vim ſopitam, quæ non agit niſi ipſa ad actum perducatur, quomodo piper calidum dicitur, & ſulphur; tertium gradum conſequuta ſunt caloris, aut alicuius alterius elementi, quæ continent actu eſſentiam, & operationem illius, ſi Leonem, & Hominem calidum dicimus; itaque in primo gradu, eſt tantum veſtigium operationis, in ſecundo eſt iuchoatio aut rudimentum primarum qualitatum à ſenſu non deprehenſarum; in tertio eſt ignis eſſentia, & operatio caloris ſed caſtigata ſenſui tamen apparens.

De corpore intemperato. Cap. VII.

INtemperatum corpus humanum eſt illud, quod à vera mediocritate exiens verſus aliquod contrariorum inclinat, ita tamen vt ipſius functiones neceſſariæ non obliterentur; eſt autem intemperamentem vel ſecundum totum, vel ſecundum partes; Et vtcunque vel ſimpliciter, vel vt nunc; Huius intemperati corporis quattuor ſunt gradus, aut enim parum recedit à medio, & inſenſibiliter, vel medioeriter, & ſecundus eſt gradus, vel multum, & tertius dicitur; & ſi tantum, vt vix viuere poſsit, iam quartus eſt, fit autem exceſſus, vel vnius tantum, vt calidi, vel frigidi, vel humidi, vel ſicci, vel duarum qualitatum, quarum vna eſt actiua, altera paſsiua. Dicimus prædominari illum humorem, cuius qualitas in corpore ſecundum virtutem alias vincit; ſubdominium autem datur ei, quæ ſecundum locum obtinet, vt ſi quis in ætate virenti, pilos ruſios habuerit, colore roſeo præditus, & carnoſus mediocriter in illo dicemus prædominari bilem naturalem, cum ſubdominio ſanguinis; quare cum actiua prædominentur virum mobilem, verſatilem, ad omnia agenda

paratum, inſtabilem, incoſtantem dicemus. Tot igitur ſunt ſpecies de eo præcipue loquentes corpore humido, quod intra venas, & arterias continetur, hoc enim proportione reſpondet oleo, pro cuius natura diuerſitas in flamma lucernæ apparet. Nihilque refert ad lumen ſiue lucerna ſit ærea, ſiue aurea; nihil igitur facit ad bonitatem, aut malitiam ingenij externa corporis turpitudo, aut pulchritudo, ſed totum conſiſtit in maſſa ſanguinis, ex qua fiunt ſpiritus, & ſolum corpus externum conſideratur, vt cognoſci poſsit qualis ſit ſanguinea maſſa quæ in talis corporis vaſis continetur.

De præternaturalibus temperamentis. Cap. VIII.

TEmperamentum alterum eſt à natura, alterum eſt ob alias cauſas. A natura dicitur quod ab aluo matris traximus, hoc fuit tale, qualia erunt ea ex quibus conſtituti ſumus, quale itaque fuit maternum, ac paternum ſemen, tale etiam temperamentum, & conſtitutio noſtri corporis. Vndè difficile non eſt in filio Paternas, aut Maternas cognoſcere inclinationes; Mutatur temperamentum in nobis iam in lucem eductis ætate, cibo potuque regione, exercitio, diuturnis animi affectibus, aere circumfuſo, morbis corporis. Amplius educatione inſtitutione, legibus, ac moribus, ſtudijs, exemplis, ſodalitatibus, ac demum vnica conſuetudine de quibus ſupra; tot igitur modis temperamentum noſtrum noſque metipſos mutari contingit. Ita tamen vt ſemper natiuæ complexionis maneat veſtigium.

Qua ratione totius, & partium principalium temperamentum naturale cognoſcatur. Cap. IX.

QVærimus agnoſcere primum inſtrumentum quo anima in corpore exiſtens ſuas operationes facere ſoleti, hoc calor eſt naturalis, qui continue ab humido radicali conſeruatur; hoc humidum calori iunctum ſpiritus dicitur, qui eleuatur à maſſa humorum, quæ in arterijs reperitur. Arterioſus hic humor componitur ex aere inſpirato, & ſanguine venoſo, vtriſque ſimul mixtis in ſiniſtro cordis ventriculo ab eiuſdem calore, venoſus ſanguis igitur ille eſt, qui ſpiritus generat, & qui corpus nutrit; Quapropter ſi nutritum nutrientis naturam refert, ergo quale erit corpus, & vt ait Galenus, qualis caro, & cutis, talis etiam

erit

erit venoſus ſanguis. A ſignis igitur diſcurrendo cognoſcimus temperamenta; ſignorum alia viſus, alia auditus, quædam odoratus, quedam alia guſtus, atque tactus ſuggerit: *Viſus* per colores pilorum, cutis, oculorum, membrorum, vnguium, excrementorum, naturam interiorum contentorum, & impetum facientium docet; contenta vocat Hippoc. humores, continentia corpus, & loca in quibus ſunt. Impetum facientia dicit ſpiritus. Docet etiam viſus figuram, motum quietem, eiuſque differentias. Amplius, & magnitudinem, quos enim videmus puſillos, (quoniam in paruo corpore celeres fiunt motus) illos dicimus mobiles, præcipites, iracundos, ſic Horatius ſe ipſum exigui corporis, dum eſſe dixit, iraſci etiam dolorem vocauit. Pariter auditus duo ſuppeditat, & ſonum, & vocem; ſonum voco quæ faciunt aliqui dum mouentur, aut pede pulſantes plus nimio terram, aut articulis ſonum quendam facientes, quod indicat articulorum laxitatem, & nimiam corporis mollitiem. Vocem dico, quæ ex aſpera arteria, lingua, & dentibus emittitur; huius differentiæ ſunt acuta, grauis, rauca, clara, æqualis in æqualis magna, parua, tarda celer; odoratus, & ipſe nonnulla ſuggerit, quibus interior ſanguinis maſſa cognoſcatur; odor duplex eſt, aut malus & hircinus, & hic odor docet hominem excrementis multiſque abundare, pluſque comedentem quam perfecte digerere poſsit: Huic opponitur bonus odor, qualem dicunt ſpiraſſe Alexandrum Magnum, qui ſimilis eſt odori marturum, quos fainas vocant; & quos vulgo Muſcardinos dicunt, odorem hunc refert viarum puluis æſtiuo ſole vehementer aduſtus, ſi contigerit leni pluuia rorari, docet hic odor calorem prædominari, longeque abeſſe putredinem; Medij ſunt duo, quorum alter dicit omnem carentiam odoris: quem volunt eſſe proprium odorem fœminarum, tunc enim optime, olent, cum nihil olent. Indicat hic odor, nec calorem ſuperare ita vt mulier inclinet ad virilitatem, & impudicitiam; Nec humorem adeo abundare vt putredinem moliatur. Alterum dicunt eſſe virorum robuſtorum odorem; Qui & ſi ingratus non ſit, neſcio quid tamen ſilueſtris ſpirat qualis eſt hominum robuſtorum ſilueſtrium, & multis laboribus obduratorum qui etiam ſpiratur a caſeo ſicciore, & acriore. Præter hæc & guſtus ſua ſigna dabit, quamuis nemo ſit, qui ceu Hippoc. aliena velit guſtare excrementa; Nam amaror, in humoribus deprahenſus, bilis dominium indicat, & amara lachryma exuri interiora, at ſi dulcis

fuerit, mediocrem arguit calorem; Omnis etiam ſudor, aut ſalſus, aut acerbus, aut ſapore carens, qualis ſit internus ſanguis exponit. Teſtatur Hippoc. aurium ſordes ſi dulceſcant mortem in proximo eſſe in his, qui peri pneumonia ſeu inflamatione Pulmonis laborant. Tactus etiam, & multo plures explicat differentias, ſiccitas, humiditas, calor, & frigus tactu cognoſcitur. Amplius durities, mollities, aſperitas, lenitas, grauitas, leuitas, lubricitas, arriditas, craſsities, tenuitas, quæ ſcilicet omnes differentiæ ab Ariſtot. ſecundo de generatione enumerantur. Probabile autem eſt, ſi talis ſit caro, & cutis talem etiam eſſe ſanguinem, & ea quæ fiunt ex ſanguine interiora eſſe, & ſi flacida fuerit caro fibris carere ſanguinem ait Ariſt. quare, & hominem eſſe debilem, & robore carentem; Hæc igitur ſunt inſtrumenta, & ſigna quibus vtimur ad cognoſcendum vniuerſale corporis temperamentum, ſiue naturam ſanguinis, quæ & corpus noſtrum inſtaurat, & calori naturali alimentum ſuppeditat.

Qua ratione partium principalium temperies, & quibus ſignis deprehendatur, & primo de teſtibus, & hepate. Cap. X.

EX Galeni ſententia in libro artis paruæ quattuor ſunt partes corporis noſtri, quas ille principes vocat cor cerebrum. Hepar, teſtes; cordis ratio in calido poſita eſt, primum enim eſt calidorum corporis, cerebrum primum eſt frigidorum, & hæc duo membra principem in corpore locum obtinent. Actiuorum enim ſedes ſunt, caloris ſcilicet, & frigoris. Hepar ſuppeditat alimentum, & primum humidorum exiſtit, eſt enim omnis humoris fons, & origo; At teſtes ſiccitatem, & virilitatem, roburque cum addant primum principium ſiccitatis dicentur, cuius indicium eſt quod animalia caſtrata in teneriorem, humidioremque naturam degenerant, & quodammodo fœminilem induunt habitum. At Laurentius tenet multo aliter rem eſſe, & teſtes membraque genitalia ſeſe habere ad futurum hominem ſicuti cor ad præſentem, ergo cor coloris fons eſt, & origo eius qui nunc actu viuit, teſtes autem eius qui victurus eſt; demptis igitur teſtibus demitur, & potentia generandi ſibi ſimile, at hæc eſt perfectio viuentis ſecundum quod eſt viuens, vt ſecundo de anima. Si itaque refectus ſit imperfectum viuens non poteſt eſſe perfectum

animal, nec homo; euiratum igitur neceſſe eſt, imperfectum hominem etiam ſecundum corpus, & ſecundum operationes animæ; quare euiratus à temperamento naturali recedit, fitque frigidior, & quoniam frigidior eſt minus concoquit, quare, & humidior excrementitio humore. A teſtibus igitur inchoantes tamquam à nobis notioribus; dicamus quorum teſtes ſunt aut plus iuſto maiores, aut plus iuſto minores, illi impotentes ſunt, ſunt, aut fœminarum generatores: Maiores iuſto materiæ abundantiam ſignificant, vbi hæc abundat, raro ibi perfectio eſt: Si minores iuſto, carentiã, & in paruo loco, aut caloris debilitatem, aut ſuffocationem arguunt; ſi contracti ſint, corrugatumque ſcrotum exiſtat, ſanitatem, robur indicant, cuius indicium quod omnibus quibus inſtat febris dimittuntur; idemque ſenibus aut grauibus curis affecti, contingere aiunt, caloris enim remiſſi, aut contracti ſignum eſt. Si vero glabri ſunt, idem indicant, nam calidi multam pilorum copiam circa pubem inducunt. Mediocres igitur ipſos eſſe oportet, ſcrotum ſubruffum, rugoſum, ſubfrigidum tactui, ſic enim interiora caleſcunt, eorundemque robur indicat pilorum craſſities, calor, denſitas, & rugoſitas, quod ſi pili ſunt rari, ſi ſubtiles, ſi molles ad frigiditatem temperies teſtium vergit, ſi craſſi, duri, criſpi ad calorem; ſi multi molles pili vſque adumbilicum per lineam rectam aſcendant, humidum exuperare indicant hominemque eſſe garrulum, & mendacem ex Ariſtot. ſen entia teſtantur ſi pauci, & rari fuerint ſiccitatetem oſtendunt, dummodo cum paucitate, & raritate craſſitiem coniunctam habeant. Cæterum quales ſunt barbæ pili colore, & caſſitie, tales ſunt pudendorum, & nares, nariumque foramina teſtium qualitatem, & figuram oſtendunt, quid igitur ſint teſtes, quales ſint quomodo cognoſcantur, & quis ſit illorum in corpore vſus, ex his patet. Vana igitur eſt Anatomicorum dubitatio quærens, quomodo poſſint teſtes alterare cordis, cerebri, & hepatis temperamentum, cum non ſint coniuncti cum illis vlla apparente coniunctione: At dicendum eſt, eſſe inſtrumenta potentiæ generatiuæ, & ſicuti ablatis oculis non videt Animal, & imperfectum eſt ſecundum quod eſt animal, ita ablatis teſtibus eſt imperfectum ſecundum quod eſt viuens. Viuens autem calore viuit. extractione igitur teſtium redditur imperfectus calor, imperfectè igitur concoquit, imperfectè, alitur, & augetur, redundant igitur excrementa frigida, & aquea ex quorum mixtione mutatur temperamentum, quare & animalis natura-

les

les inclinationes ergo & affectus, appetitus, & cogitationes, ſuccedit hepar, quod eſt principium atque inſtrumentum ſanguificationis, vt enim ſe habet Magiſter, & Præfectus annonæ in vrbe, ita hepar in corpore, ipſum enim præparat, concoquit, vertitque chylum in ſanguinem, qui per venas in vniuerſum corpus feratur ad membra alenda, huic ſeruiunt Meſeraicæ venæ, & rami venæ portæ, quæ implantantur in tunicis inteſtinorum, & præſertim in ieiunio duodeno, & ileo; ſuppeditat venæ portæ materiam ſtomachus ex cibo, quem vertit in chylum, hunc præparat, & os, & eſophogus, quare prima preparatio cibi fit in ore; vnde male manſum male digeritur, ſecunda per œſophagum vſque quo in ventriculi fundum venerit cibus, ibique elixatur, & fit ſubſtantia alba, dulcis, æqualis, ſimilaris, cumque perfecta eſt concoctio, aperitur piluron, in ſubiecta truditur inteſtina, inde per venæ portæ anaſtomaſes partes ſubtiliores attrahuntur, craſſiores per inteſtina ad vſque rectum deſcendunt, introductus chylus in venæ portæ ramos incipit rubeſſieri cum venerit in lobos hepatis in ſubſtantiam eiuſdem intrans excoquitur, & calore ſicco affectus in ſanguinem mutatur; In ſtomacho igitur fit elixatio; aſſatio in hepate; quale ergo hepar, talis eſt ſanguis. Ex his quæ ſit operatio hepatis, & quid ipſum ſit, & quod ſit inſtrumentum nutritiuæ potentiæ patet. Quibus autem ſignis ipſius temperies, ac qualitas cognoſcatur, vt eius operatio intelligatur, nunc eſt dicendum. Eucraton ſeu benè temperatum iecur illud eſt, quod calidum eſt, & humidum, ita vt referat calentem aquam, aut oleum, quod digitis & pati, & blande ſentiri poteſt, color illius ruber eſt ceu ſaturata rubrica, aut interior pars roſæ damaſcenæ: cum ſanum eſt odorem refert calentis glycyrrhizæ, ſi vero in calore excedit, nigrius efficitur; ſi in frigiditate ſimile eſt ouium, atque agnorum hepati, quod vero calidius eſt taurinum hepar refert, humidius iuſto ſimile eſt anſerinis iecoribuus, ſi quæ ſunt bene paſtæ, at quando ſiccius plus iuſto exiſtit, repſentat liuidam quandam nigredinem qualem eſt aſpicere in terra plauſtri, quæ exſiccatur, & quam aiunt eſſe in veterum canum iecinore. Membrum hoc ſanguinis fucina dicitur, quale igitur ipſum eſt, talis eſt ſanguis, atqualis ſanguis talia ſunt & quæ ſanguine aluntur, nempe caro, & cutis; Iure igitur ex cutis carniſque qualitatibus hepatis temperies cognoſcitur; cuius igitur manuum interior vola calidior tactui apparet, ſicciorque illi iecur iuſto calidius exiſtit; Cuius item calidior vertex eſt ca-

pitis eiuſdem calidius hepar; cauſat in homine hepar huiuſmodi cutim faciei, liuidam cineris colorem referentem, ſubnigram, amplius & macram, & oculos concauos, mediocres, ſubrubros. Si vero cum calore iunctus ſit humor, multitudo furunculorum perpetua, exiſtit, quædam ſcabiei ſpecies, ſed non ſicca, nec alba, pediculorum generatio. In digitis, & in auribus pili dùri, ſub nigri aut caſtanei; Iecur calidum plus iuſto, bilioſum ſanguinem generat; ſi vero ſiccitas adiungatur humores vrit, & melancholicum procreat. Bilioſus ſanguis ſi ſecundum naturam fuerit, roſeum in facie colorem inducit, ſi præter naturam, ſubliuidum cinereum, ſubcroceum. Si vero melancholia fuerit natura is faciem ſaturato rubore perfundit, qualem videmus in quibuſdam caryophyllis. At ſi præter naturam eſt melancholia aſſata ſcilicet, tunc apparet turpis quidam rubor liueſcens, & nobis imaginem præbens coloris leonini. His ergo, calidum, & ſiccum, & humidum cognoſci ur. Si hepar frigidum eſt, ſanguinem aqueum generat, & homines iſti ad hydropen propenſi ſunt, & illorum color in facie albus eſt, aquam referens, & pili ſubalbi, & tenues & molles, & pauci; hos videbis carne flacida præditos, flatibus diſtentos, debiles, ad actiones quodammodo ineptos, & eo magis quando iecur ſortiti fuerint humidum. Si vero ſiccius, & frigididius fuerit macrum, paruum, pallidum, carne flacida præditum, omninoque turpem facit hominem, cuius pili pauci ſunt, & rari, & craſsi. Hæc & ſimilia plenius apud Galenum habentur.

De Cerebri, & Cordis qualitatibus. *Cap. XI.*

CErebrum naturalis frigoris principium eſt, oppoſitum cordi cuius ſpiritus feruidiores temperat, & facit aptos ad ſenſum, ac motum; huius ſubſtantia eſt alba, tenuis friabilis, ſecundum ſe frigida, & humida, & quoniam infinitis penè venis atque arterijs diſſeminata eſt, accidit in ipſo multum caloris, multumque ſpiritum adeſſe; naturaliter igitur frigidum eſt, & humidum, refertque aquam ſi conferatur cum hepate, cum corde, & cum teſtibus; cæterum naturali motu dilatationis, & conſtrictionis mouetur cerebrum, tum propter aerem inſpiriratum in ventriculos eiuſdem peruenientem; tum propter diſſeminatas per eius ſubſtantiam arterias, quibus etiam efficitur, vt eius calor quouis æſtuoſo aere tactui calidior appareat. Dum conſtringitur,

ſpiritus per ſpinalem medullam in vniuerſum corpus diſtribuun‑dum dilatatur aerem, & à corde fluentes recipit ſpiritus, cum temperatum eſt cerebrum, & ſenſus temperatos facit, & optime ſe habentes, mediocriter carnoſam faciem, bene coloratam, hilarem, caputque rotundum, leuiter depreſſum, magnum potius quam paruum capillos ſubaureos, mediocres inter craſſitiem, & tenuitatem; ſubcriſpos. At ſi frigidius, iuſto ſit cerebrum, & pituita continuè laboratur, & pallor eſt in facie; & oculi ſubalbi, quales ſunt pecudum, & naſus paruus, extrema debilia, & corpus iners. Calidius iuſto, ſqualidum, atque cinereum colorem in facie inducit, oculos ſubnigros, lucentes, celeriter motos, in motibus celerem, vehementem, inquietum hominem facit. At ſi contigerit quod ſit iuſto ſiccius, ſenſibus exactè vtetur; optimè audiet, exquiſitè odorabit, acute videbit, at cito deficient ſenſus, & ab externis facile patietur, caneſcet, caluiſcet cito, ſiccis, acutis, & ſalſis diſtillationibus catarhiſque ſepè torquebitur. Humidius cerebrum obtuſos hominis ſenſus facit, ſomniculoſos, oculos magnos, parum videntes, & qui tale ſortiti ſunt cerebrum odorant peſſime, & ſurdaſtri ſunt, & dum loquuntur multa pituita abundant, multumque expuunt, multiſque muccis eorum nares repletæ ſunt, caro faciei mollis alba, flaccida; multa, œdematoſa, pili ſubalbi, molles, plani, inertia, inſcitia, ſtoliditate conſpicui, ouium enim naturam referunt, quæ huiuſmodi cerebro præditæ ſunt. Reſtat vt de corde dicatur. Membrum hoc primum generatur, & vltimum moritur, fons, & origo caloris, quod continuè mouetur dum vita permanet, ita vt tunc viuat animal, cum moueri, tunc deſinat cum quieſcere incipiat. Huius actio eſt ſanguinem arterioſum, qui baſis eſt, ac fundamentum humidi naturalis, ac ſpiritum, qui alunt calorem, creare; Quapropter neceſſe eſt in ipſo multum eſſe implantati caloris, qui deinde per venas in vniuerſum corpous transfunditur. Membrum hoc naturaliter adeo calidum eſſe dicitur, vt nemo digitum in ſiniſtrum ventriculum, dum animal viuit, poſſet ponere, & illum calorem ſuſtinere, feruentem igitur refert aquam locus iſte, nam ſi propter ipſum cæteræ partes corporis calidæ ſunt, multo magis, & ipſum calidum eſſe cor oportet, caro eiuſdem craſſa eſt, duraque, vt amplius calorem retinere poſſit, quod ferro ignito contingit: Pyramidem qu quo pacto refert, aut, pineam nucem, hæc enim ignis figura eſt, & flamma omnis in acutum definit. Quibus temperatum eſt cor, mediocriter pectus

carno-

carnoſum eſt albumque, paucis, & aureis pilis præditum; Hi naturaliter hilares ſunt, benè ſperantes, creduli, apti ad amandum. At ſi iuſto calidius fuerit, quod plerumque accidit ijs, quibus contigit eſſe mediocris magnitudinis; Non ad defectum tamen vllo modo vergentis, horum pectus latum eſt, macrum piloſum, robuſti humeri, & dorſum, reſpiratio magna, quare & nares patulæ, vox grauiter ſonans. Hi prompti ad iram, ad appetendum, & cupiendum incitatiſſimi, & quod volunt, ſtrenue volunt, audaces, manu prompti, habent pilos nigros, os magnum, faciem ſqualidam, intuitum ſubobſcurum, totuſque color ad ſqualorem, & ad puluerem viarum æſtiuum accedit. Oppoſito modo diſpoſiti ſunt, quibus accidit cor frigidum, nam & ſtrictum pectus habent, & glabrum, & carne non multa præditum, & extrema parua, & humeros contractos, & collum longum, & ſubtile, & totum fere corpus fœmineum, ſunt autem timidi, & verecundi, ſed malitioſi, & ad fœminas referuntur. At quando cum calore ſiccitas iuncta fuerit ferinos quoſdam ſortiti ſunt mores, ac diſpoſitiones. Cognoſcimus, hanc qualitatem in corde exiſtere, cum melancholicum, timidum, maligum, abiectum, vilem videbimus hominem, corpore paruum, facie turpem, contractos humeros habentem, pectus ſtrictum, glabrum, extremitates paruas, frigidas, reſpirationem, & pulſum rarum, paruum, ſed crebro cum ſuſpirio; oppoſitas autem qualitates ab oppoſitis oriri proprietatibus, & diſpoſitionibus probabile eſt.

Quæ potentiæ animæ particularibus vtantur corporis membris tamquam inſtrumentis, & quomodo ex his cognoſcantur ipſarum diſpoſitiones. Cap. XII.

ANima eſt actus corporis inſtrumẽtalis ergo qualis anima, tale eſt inſtrumentum, talis & operatio; cognito ergo vno ex his tribus, & cætera cognoſcentur, cum autem tres ſint præcipuæ humanæ animæ partes, rationalis (ſi modo inſtrumenta habet) vtitur præſertim cerebro, & pars cognoſcitiua ferè tota ibi conſiſtit. Cognoſcimus quinque ſenſibus, memoria phantaſia, ſenſu communi, cogitatione, diſcurſu, mente, ergo quale cerebrum eſt, tales plerumque etiam erunt harum virtutum operationes. Memoria & recepit, & recepta retinet; humido igitur primum, deinde ſicco vtitur, quare pueri in prima æta-

 te fa-

te facile memoriter adiſcunt, humidi enim ſunt, quæ didicerunt cum adulti fuerint diu retinent, ſicciores enim effecti ſecundum partes illas, iam retinent, quæ ſuſceperunt. At ſenſus communis cæterorum ſenſuum centrum, frigido, & ſicco determinatur; congregat enim omnia, frigidum retinet ſiccum. Aſt phantaſia in calido poſita eſt, ipſius enim proprium eſt per partes varias verſare, phantaſmata, & hæc ſimilia coniungere, illa diſſimilia diſiungere. Cogitatiua pars, cuius, proprium eſt coniungere tam ſimilaria, quam diſſimilaria ſimul, ex Auuerroè, vtitur ſpiritibus melancholicis, frigido igitur, & ſicco determinatur, hinc cogitabundi melancholicique fiunt homines. Diſcurrere autem quoddam moueri eſt, ex hoc in illud ferri, iam igitur hoc actiuorum eſt, quare diſcurrere ignis eſt ſed multo aere temperati. Mens vnica nullo eget proprio inſtrumento, ſola enim eſt pura potentia, & locus formarum dicitur, ſola corpori, corporeiſue inſtrumentis non inititur. Interioribus animæ inſtrumentis exteriora elementa reſpondent, nam auditui aerem tribuit Ariſt. viſui aquam, ignem odoratui, guſtui, & tactui terram. At Plato oculum menti, atq; cœli cœleſtique lumini aſſimilat, tactui terram dat, aquam guſtui, aerem auditui, & olfactui ignem. Iraſcibilem, & concupiſcibilem, ceu Plato, dant epati, iraſcibilem in corde ſtatuunt. Sed certè in corde eſt appetitus omnis, nam & qui amant, & qui oderunt, æqualiter motum in corde percipiunt, qualis igitur eſt cordis natura, talis erit omnis appetitus diſpoſitio, & qualis hepatis virtus, talis etiam erit potentiæ nutritiuæ diſpoſitio. Vtitur iraſcibilis virtus bile flaua, vtitur concupiſcibilis ſanguine, omnis igitur appetitus in calido ſitus eſt, motus enim quidam eſt appetitus; & calor vel principium eſt motus, vel eiuſdem primum inſtrumentum; Tot ergo ſunt partes animæ certis corporis membris addictæ, ex quibus corpore eaque membrorum diſpoſitione omnes cognoſcuntur propoſitæ diſquiſitionis partes.

Quomodo ad temperamentum totius, & partium principalium ſequantur diſpoſitiones animæ, & corporis.
Cap. XIII.

EX eadem re, eademque materia fiunt ſpiritus, & corpus hominis, ea enim quæ contenta vocantur ab Hippoc. ex vna parte

parte faciunt corpus, quod continens ille appellat; ex altera parte ſpiritus faciunt, qui dicuntur impetum facere, ſpiritus hi generantur ex eo potiſſimum ſanguine, qui cum aere inſpirato intrat ſiniſtrum cordis ventriculum. Accidit igitur ab inſpirato aere, & a cordis affectibus diuerſificari ſanguinem generantem ſpiritum; ab illo qui corpus alit, ſi itaque hic ſanguis cognitus fuerit, cognoſcemus etiam qualitatem ſpirituum; his habitis diſpoſitionem, & materiam propinquam phantaſmatum, cogitationumque habebimus, cogitationes, appetitus diſpoſitiones, & inclinationes inducunt, has ſequuntur actiones, quæ mores, & habitus generant, per quas dicimur tales. At quicumque certum ſortiti ſunt habitum, certaque opera faciunt, probabile eſt. talem ſortiri fortunam, & hæc circa animam dicta ſint. At circa corpus ſimiliter, cui inſunt tales humores, & ſic temperati, illi etiam inſunt diſpoſitiones ad certos morbos, & certam ſanitatem; quare, & de ſanitate, & de morbis, de longitudine, & breuitate vitæ non pauca prædici poſſunt. Neminem autem credere oportet ex his quæ dicta ſunt, & dicenda, aut animæ liberum arbitrium offendi, aut neceſſitatem in actionibus humanis poni, aut de futuris contingentibus aliquid certi afferi, aut animam ideo corpoream, aut de materia eductam (de humana loquor) affirmari; etenim omnis humana anima eadem ſpecie eſt, quæ differentia apparet inter vnam, & alteram animam, a corpore, & materia prouenit, vt idem homo nunc faber eſt, nunc ſector prout varijs vtitur inſtrumentis; ſic ex corporeis diſpoſitionibus hic iracundus, ille vinoſus, alius venereus vocatur, & diſpoſitiones iſtæ inclinant tantum, non cogunt, ſumus enim in manibus arbitrij noſtri, & poſſumus inclinationes has vincere. Hæ ſunt domeſtici illi, cum quibus nobis certamen eſt, qui *ſi dominati nobis non fuerint, tunc immaculati erimus*, & vt dicit Pſalmus, *liberamur à peccato maximo*. Hi ſunt paruuli, *quos ad petram rationis allidere oportet*. Hi ſunt ſtimuli carnis, qui dati fuerant Beatiſſimo Paulo, à quibus male torquebatur; Contra has corporeas diſpoſitiones, & inclinationes, *qui non certauerint, & vicerint, non coronabuntur*. In manu arbitrij noſtri ſumus; licet alias inclinationes alere, alas amputare, & abſcindere; ratio ſeu mens, quaſi optimus agricola vitem, quam accepit colendam, putat, ſarmenta quædam abſcindit, alia ligat, alia in terram deprimit, alia demum ſublimat, ſic ſi cui vis iracundiæ nimium gliſcat, illa repellenda eſt, ſi autem timor audaciam plus

nimio præmat, illi manus porrigenda eſt, omniaque ad auream mediocritatem mens, quæ præcedit, reducere debet, illi eſt hoc onus, hæc ſua prouincia eſt, quam ſi rite gubernauerit, laudabitur, ſin minus vituperio digna iudicabitur.

De corpore temperato eiuſque qualitatibus, *Cap. XIV*.

PRopoſitum eſt temperamenta humanorum corporum cognoſcere in vniuerſali & quæ nam inclinationes, diſpoſitiones, & habitus vnum quodque ſequantur. At omne corpus humanum, vel eſt temperatum ſimpliciter quod appellatur æquale, vel eſt intemperatum; temperatum vel ad iuſtitiam eſt, vel ad pondus; temperatum ad iuſtitiam dicitur, quod eam ſortitum eſt mixtionem actiuorum, & paſſiuorum principiorum, qua perfecté, ac ritè operationes humanas efficere poteſt, itaque vt ait Piccolomineus temperamentum ad iuſtitiam canis, eſt corpus exactiſſimè diſpoſitum ad faciendas operationes canis, ſic temperamentum ad iuſtitiam hominis, eſt corpus, & materia humanæ animæ, maximè apta, vt ab anima perficiatur & propria munera exerceat. Temperamentum ad pondus non datur, tunc enim æqualis eſſet agentium, & patientium virtus, quare non ſequeretur paſſio, nec alteratio, ergo nec vnio, quoniam nec mixtio, quæ eſt miſcibilium alteratorum vnio; Temperamentum hoc ad iuſtitiam in ſanguine tum venoſo, tum arterioſo exiſtit; Venoſus ſanguis ad alendos corporis artus accommodatus eſt, ex arterioſo fiunt ſpiritus animalium functionibus ſeruientes. Probabile eſt ſi corpus fuerit temperatum, & ſanguinem eſſe talem, & ſanguinem generans hepar, nec non & arterioſum ſanguinem, & totum deniq; compoſitum. Dicamus itaq; quid ſit eucraton corpus, quomodo cognoſcatur, quales ſortitum ſit proprietates tum ſecundum animam, tum ſecundum corpus. Eucraton corpus hominis ſiue optime temperatus homo dicitur, qui corpus maxime diſpoſitum ſecundum humanam naturam ſortitus eſt, & in actiuis, & in paſſiuis. Hoc autem duplex eſt vel ſimpliciter, & per totam vitam, quod non datur, aut vt nunc, hoc eſt certo tantum tempore, etenim humanum corpus ſanguiſque ille arterioſus, ex quo naſcuntur ſpiritus vix breui tempore eundem ſeruare poteſt tenorem, ſed mutatur ab alimento, ab aere, ab humorib. in corpore exiſtentibus, ab animi acciden-

tibus.

tibus, &c. Et quoniam rectum eſt index ſui, & obliqui, capiamus, & deſcribamus temperatiſſimum hominem, & videamus, qualis ſit ſecundum animam & corpus, vt ad ipſius comparitionem ſecundum quod magis accedent alij, aut ab ipſo recedent, magis, & minus temperati dicantur. Hic ſit natus viginti octo annos in fine veris; optimis cibis, nec mediocritatem excedentibus in quantitate, aut qualitate, iam per ſeptem dies nutritus, in aere temperato, nullis affectus animi accidentibus, ſanus corpore, mediocriter exercitatus, & præcipuè circa meridiem exiſtens, quando dudum cibum ſumpſerit, hunc, probabile eſt, tale corpus habere, ſit quantitas à quatuor pedibus cum dimidio vſque ad quinque, capilli ſub aurei, frons alba, lata, quadrata, nullis tuberculis impedita, circum circa criſpis crinibus ornata; cilia magna, ſubtilia, diuiſa, oculi mediocres nigri, lucidi, humentes. Naſus rectus ad magnitudinem potius quam ad paruitatem declinans; Nares patulæ, latæ, & mediocres. Labra vehementer rubra, dentes ſpiſſi, candidi, robuſti, numero triginta duo, malæ oblongiores, carnoſæ roſeæ, molles, non flaccidæ, ſed tactui reſiſtentes. Aures mediocres, bene exculptæ. Auriculæ ſeiunctæ à parte, quæ eſt ſub auribus; collum craſſum, robuſtum candidum, in quo nec venæ appareant, nec oſſa; ceruix mediocriter pilis ſubcriſpis ornata; Mentum quadratum, leniter diuiſum, barba lenis, & ſubaurea, ad fuſcum inclinans, facies decora, ſimul, & amorem, & reuerentiam excitans. Pectus mediocriter amplum, æquale, carnoſum, candidum, compreſſus venter. Aluus ſtricta; clunes latæ, coxæ, ac crura, humeri, & brachia carnoſa muſculoſa ad motum paratiſſima, manus, ac pedes, ad magnitudinem potius quam ad paruitatem accedentes; Tandem totum corpus maxime ſecundum naturam diſpoſitum, vt & aſpectui placeat, & omnia ſua munia aptiſſime exequatur. Quem itaque videbimus talem, profecto admirabimur. Ideo admirabiles hos appellabat Homerus, quoniam rari ſunt; rari autem quoniam perfecti, perfectum enim rarum eſt, ſi quidem ei nihil addi, nihil demi poteſt. Viri tales amabiles ſunt, quoniam placent, etenim valde pulchri ſunt; pulchri autem quoniam ſecundum naturam maximè ſunt diſpoſiti, propter hoc, & beati, & felices dicuntur, perfecti enim ſunt? Amplius, & ſani, nam niſi ſani, ægroti vel neutri, præter naturam igitur affecti, & quoniam amabiles ſunt amantur, & propter hoc beneuoli ſunt, amoris enim proprium eſt amorem generare, benigni ergo,

placi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

placidi exiſtunt, & hominibus cari, & quoniam beneuolos diximus, commodi igitur, alieniſque commodis libenter dant operam, in actionibus ſuis concinni, pulchri enim, & perfecti, & quoniam placent, omnia illos decere videntur: Quare cordati, diſcreti, elegantes iudicantur, amantur enim, amantibus autem amatorum omnia placent, iuxta illud diuinum dictum, quod *diligentibus Dominum, omnia cooperantur in bonum, etiam mala*; itaque & honorabiles videntur, & humani, & præcipue honeſti, æquique amatores, naturaliter etiam innocentes ſunt, & iuſti, nam ſunt beneuoli, & benefici (iuſtus ſecundum naturam diſpoſitus eſt,) laudabiles iſti vocantur, nam & amantur, & amabiles indicantur; Parati & ipſi ad laudandum, beneuoli enim ſunt; Item & liberales propter eandem cauſam, & mites, quoniam, & liberales, & beneuoli. Morati etiam; & ſecundum ſe nobiles habentur, Dei amatores, nam pij ſunt, non enim ſuperbi, nec feri exiſtunt, ſiquidem benignos atque amabiles diximus pulchros, ſunt placidi, & affabiles, quoniam beneuoli, ergo & multum parati ad eloquentiam, & in ſuis actionibus recti, corpus ſalubre nacti ſunt, nec facile ab externis leduntur, nam maxime naturalem habent temperaturam, ſcitè, atque lepidè caput, manuſque mouent, ac totum corpus, aliter enim non eſſent pulchri, inceſſu ſedato, ac graui mouentur, nam ſummam adepti mediocritatem, & ab extremiſque longè diſtant; ſpecioſis ſalibus, venuſtis ſententijs eorum exornatur oratio, ſecundum ſe ſobrij videntur, temperati in voluptatibus, ſed plus iuſto aliquando mortem, ac pericula formidant, nec libenter periculis ſe exponunt, niſi cum alijs fuerint, tunc enim vehementer ſe alijs æquare ſtudent, ſed viri iſti, qui ita ſecundum naturam diſpoſiti ſunt à contemplationibus, ac ſcientijs abhorrent, nullam artem libenter exercent, luſibus, iocis, riſu, amoribus, comedijs, choreis, ſonis, ac concentibus mirificè lætantur. mobiles ad omnia; quod mox placet, ſubito diſplicet, nec hore momento ſibi conſtantes, ſemper cum riſu, ac ioco, & reprehenſiones, & conuitia accipiunt, rem familiarem parum curant, amicis mirificè addicti ſunt, honores, & quam vocant reputationem affectant, quam cum conſequuti ſunt, non retinent, nec curant, plerumque ſeipſos deſpicere magis, quam amicos videntur, cum enim in mediocritate poſiti ſint facile ad oppoſitas partes quacunque leuiſſima cauſa dilabuntur.

De

De Temperamento calido. Cap. XV.

TEmperamentorum vnum tantum ſimplex eſt, perfectum, & in mediocritate poſitum. Cætera omnia vel excedunt, vel deficiunt; quæ excedunt in vno oppoſito deficiunt, ſi in duobus exceſſus eſt, in duobus etiam oppoſitis conſiſtet defectus, cum ergo humana temperies in medietate primarum qualitatum conſiſtat, intemperies in exceſſu vnius, aut duarum ponetur, quare aut erit exceſſus in calido tantum, aut in frigido tantum, aut in altera ex paſſiuis qualitate, aut in duabus ex his. Si ergo excedet hominis temperies in calido tantum, in hoc prædominabitur bilis cum ſubdominio ſanguinis, vtrique enim humores calidi ſunt, at poſterioris humiditas ſiccitatem prioris contemperat, hunc ergo ſimili modo temperatum cognoſcemus, & ſenſu ſecundum ſe, & diſcurſu, Cuius ergo pili ſunt rubei, ſeu ruffi, ſubcriſpi, caro candida, color ruber maxillæ, oculi ſubcrocei, ſicciores, ænea barba, naſus acutus, nares patulæ, & maximæ diſſitæ; os latum, dentes parui, ſubrari, lingua parua ſubtilis, valde mobilis, vox in fine acutum ſonans, aures mediocres optime exculptæ, collum craſſum, candidum, pectus latum, roſeum, mediocriter piloſum, crura, ac brachia carnoſa mediocriter, oſſa naturaliter ſubtilia. Manus ac pedes mediocres, ſed digiti longi, acuti, vngues ſubroſeæ, in motibus vehementes, celeres, prompti, audaces, ſtaturæ erectæ, atque ad omnes actiones, & contemplationes in principio parati, dum autem ſequuntur, facilè deficiunt. Hos itaque calido temperamento præditos iudicabis, & in his præualebit bilis naturalis, cuius proprietates ſupra declarauimus. Huius ergo viri calido temperamento præditi, tres ponuntur gradus, primus eſt qui parum à temperamento optimo recedit, & eſt, qualem licet aſpicere æſtate media iuuenem optimi temperamenti, qui cibis calidioribus paſtus ſubſole aliquandiu laborauerit, ita vt inflammatus, & ſolito ruffior appareat; ſecundus gradus eſt eius, qui in ſupradictis qualitatibus magis excedit; in tertio gradu ille eſt qui, & calidior exiſtit, & ad calorem addit palliditatem quandam, & ſiccitatem, eos imitans, qui febre tertiana exquiſita laborant, qui & venas habent latiores & ſtrigoſiores ſunt, & tactu calidiores, de quibus mox agemus, primum autem gradum nunc contemplemur. Quicumque in primo gradu calidus erit, in illo prædo-

minabitur bilis, ſequetur ſanguis, quem excipiet pituita cum melancholia, aut altera ſuperabit alteram, aut pene pares erunt: calidus hic erit, quare & celer in motibus, & accenſus & valde actiuus, ignem enim refert, acer ergo, & quoniam promptus ad motum, ideo agilis, ſed ignis alijs elementis ſuperſtare vult, ſuperbus igitur, quare & ambitioſus. Atqui ignis proprium eſt rarefacere & dilatare, apertus igitur erit, & quod in corde habebit illud idem os oſtendet; in operationibus ardens in principio, at parum perdurans, eſt enim facile mobilis, ignis enim eſt proprium continue moueri; Arrogans eſt, ambitioſus enim, & ſibi attribuit quæ attribuenda non forent, ignis enim proprium eſt ad ſe attrahere, quibus nutriatur, vt ambitioſus quibus ſe ſe efferat. Vehementis, & acutæ cupiditatis, & quæ promptiſſimè vult, eadem ſubito reijcit, ac ſpernit, caloris enim eſt potenter attrahere, & attractum niſi naturæ ſuæ conueniat idem potenter repellere, & quoniam ignis continue mutatur, quod præcedens attraxit, ſequens ſubito repellit, ac eadem cauſa curioſus eſt, nam curioſi eſt cupere, & quærere rerum cognitiones ad ſe traducere; celſum fert animum, rectumque caput, & elatum habet, calidi enim eſt ſurſum petere certator eſt, & libenter rixatur, ſuperbus enim eſt, & alijs vult ſuper eminere. At ſi illi reſtiteris facilè cedit; Conuiciator eſt & intollerabilis ijs, qui cædunt, ignem enim refert in ſicca ligna graſſantem. At ſi impedimentum ceu viridia reperiat, tacebit, confidens eſt, ſpeique plenus, ſed magis alijs quam ſibi, alieno enim nutritur, ac viuit ignis, non ſuo, dicax eſt, ac garrulus, ſiquidem curioſus eſt, & ob hoc percunctator, rerum alienarum reprehenſor, & euerſor, nam ignem refert, ignis autem proprium eſt mutare ea quibuſcunque applicatur, eſt etiam naturaliter expilator, a ienîſque ſuperbe, ac contumelioſe abutitur, ambitioſus enim eſt, & alijs ſuperſtare quærit, & ob hoc glorioſus, exultabundus, ſe ipſum laudat, arrogans, enim eſt ambitioſuſque. Hunc dentibus infrendentem, fremebundumque, cum ira ipſum occupauerit audiemus, cauſa eſt, quoniam eſt temperamenti bilioſi cum ſubdominio ſanguinis, dum augetur calor, exiccatur humor, cuius exſiccationem conſequitur ſpirituum raptus ad caput, quibus celeriter mouentibus muſculos buccarum fremitus efficitur. hunc etiam graſſatorem, ſanguinarium dicemus, ſuperbus enim eſt, & contumelioſus in ſuis deſiderijs immodicus, ignem enim refert, & propter hoc impiger eſt, etenim ad motum promptus, facile

alios

alios increpat,& ab lijs increpare difficile ſuſtinet,ſuperbus enim eſt, & iracundus, ergo & facile indignatur, nec admonitiones admittit, in hoc immorigeratis ſimilis adoleſcentibus,ſubtilis tamen eſt & induſtris nam, calidus, eſt, & facile penetrans; naturaliter hilaris eſt, ſi quidem calidus, quare bene ſperat,& propter hoc eſt hilaris, idem & alienas menſas libenter appetit, & alienas vxores, & aliorum omnino appetens eſt, propriorum contemptor; quare & rapax eſt, & adulter; cauſa eſt quoniam calidum,ſecundum quod calidum eſt attrahit quæcunque ſecundum eius naturam ſunt, ea autem ſunt, quæ ſub ratione boni ei ſe offerunt; quare cum aliena ſub ratione boni apprehendat, & quoniam aliena ſunt illis careat, hinc oritur deſiderium, quod vehemens eſt,& acutum,quoniam in calido ſubiecto eſt, & ſic vehementer aliena cupit, propria autem quoniam ſuperbus eſt, & longè ſeipſo inferiora iudicat, ideo deſpicit. Nimius etiam eadem de cauſa in ſuis voluntatibus iudicatur, neque enim medium tenet ignis, cuius hic naturam refert; & quoniam eiuſdem ignis natura eſt, vt ſit mobilis, ac leuis facile mutatur, & modo ad hanc, modo ad illam partem inclinat paruo negotio, ſedulus eſt in alienis negotijs in principio, at propè finem concidit, et hæret, hoc enim ignis eſt opus, et ſi quid reperiat quod illi reſiſtat, facilè cedit, ſubſannator eſt, irriſor aliorum, ſibi enim vehementer ſapere perſuaſum eſt, cum calidus ſit,et ſuperbus Hæc igitur atque huiuſmodi proprietates ſunt hominis ex naturali bile cum ſubdominio ſanguinis temperati.

De Temperamento in quo flaua bilis, & ſanguinem ſuperat. *Cap. XVI.*

QVos dicebamus in caliditate excedere, horum tres gradus conſtituimus, primus fuit, quando bilis prædominabatur cum ſubdominio ſanguinis, calor enim intenſior efficiebatur, at ſanguinis humor bilis tẽperabat acuitatem; ſecundus gradus eſt, quem nunc explicaturi ſumus in quo bilis ea ſuperat, quam flauam appellant, natam ex aduſtione naturalis, cum enim a vehementiori hepatis calore aduritur pars ſanguinis ſubtilior, quæ bilis erat naturalis, hæc conſtituitur flaua, ſapore amara, colore crocea, vel aurea; odore nidorem referente; tactui autem calida vehementer, vt propè partes excoriet, in quas peruenit; hæc ea eſt quæ eriſipilata producit. Cum itaque temperies hæc

hominem occuparit ſubflauos, & propè croceos habebit crines, multos ſubtiles, criſpos, frons turpis non admodum lata, rotunda, ſupercilia ſubnigra ferè glabra, oculi parui, concaui, ſicci, lucidi, mobiles. Naſus mediocris acutus, ſimus; cutis color pallidus, ſubcroceus, turpis; os magnum, ſubtilia labra pallida, barba rara turpis, nec mentum veſtiens æqualiter, nec genas. Mentum mediocre, acutum, colum longum, exile, ſimiliter, & pectus mediocre, macrum, in quo apparent coſtæ, bracchia, & crura debilia, pedes, & manus macri, longi, multa vngue curuati, crura piloſa valde, ſed tenuiſſimo pilo veſtita, ſimiliter & partes, quæ ſunt circa manus, & digitos. Huius hominis motus in principio promptus eſt, ſed facile laxatur, vox rauca clangoroſa, in fine acuta, ſubmoleſta. Hunc itaque ex his cognoſcemus. Præcipuus autem character huius temperaturæ triplex eſſe videtur primus cinereus faciei color, illum referens cinerem, qui non perfectè coctus eſt, ſecundus eſt vt horum manus circa volam æſtate calidiſſimæ ſint, & vt plurimum abſcedat epidermis, tertius eſt, vt huic partes, quæ ſunt circa iecur ſint ſubnigræ, ipſe ſit macer, & frequenter ſtomacho doleat, plerumque nidoroſum emittens ructum; tale itaque corpus ſortitum eſt, qui dicitur calidus in ſecundo gradu homo. Eundem autem quo ad animæ potentias ſi contemplabimur, dicemus, exactum habere ſenſum, ſed qui facile ab externis lædatur; eſt enim hic raræ texturæ, quoniam vehementer calidus, & delectabitur cibis frigidis, & præcipue fructibus, vehementiorque erit in ſuis appetitionibus, quam ſuperior. At multo minus efficax; In motibus celer, in ſpeculationibus promptus, acerrimo enim iudicio præditus erit, quoniam calidi eſt penetrare, diſgregare, diuerſa ſeparare, in actiuis propter nimium calorem intolerabilis, parum amabitur, quoniam ſibi ipſi nimium ſapere videbitur, pariter autem nec fortis eſt, nec timidus; non fortis quoniam ignis omnium corporum facillimè repellitur, leuis enim eſt & mobilis, nec timidus apparet, quoniam calidi eſt penetrare, & alijs ſupereſſe, iracundus enim eſt, & acer, quare nec timidus. Ad impudicitiam, & ad omne luxuriæ genus inclinatus, calidus enim humor plus nimio effectus in ſalſum degenerat, qui materialis eſt impudicitiæ cauſa; guloſus & multo plura appetens quam digerere poſſit, & bibax præſertim, ſiquidem calidior eſt iuſto. Non ad modũ ſuperſtitionibus addictus eſt, nec facile nugas, aut quæ non videt, timet, parum enim credit, quoniam non timet, confidit enim quo-

niam

niam calidus eſt. Idem liberalis eſt. aut prodigus, calidi enim eſt diſſipare; ſed rapax, & vt ait Ariſtot. compoſitus prodigus. dum enim ſua profundit, vt habeat quæ dilapidet, aliena rapit, iniuſtus eſt igitur, & præcipue contra inferiores, à quibus ſe læſionem pati nō poſſe ſperat, vbi enim impunitatis ſpes effulſerit, paratus eſt miſcere ſacra profanis; ſi pœna immineat omniū maxime timidus apparet, prōptiſſime enim obedit, hoc enim flammę proprium eſt, vt leuiſſima aura in omnes partes faciIlimè agitetur; cum amicis male conuenit, ac facile cum ipſis rixatur, facilè etiam in gratiam reddit, ignis enim proprium eſt facile moueri. Honorum maxime appetens eſt, maximeque ambitioſus, & cui placeat laus, & adulatio. Sed quamuis magnopere laudem affectet, non ob hoc tamen libenter labores ſumit, quibus verum honorem, ſolidamque gloriam aſſequatur, quod enim mobile, & inſtabile eſt, difficilè labores ſuſtinet, eſt igitur talis vt paruos honores aggrediatur magnos deſperet, bilis enim flaua ex aduſtione naturalis exoriens ſapit terrenam naturam, cuius proprium eſt deſcendere, & ab alijs ſeparari, In artibus hic liberalibus, ceu pictura, ſculptura, architectura valet, & ſi ingenium volubile id pateretur; liberales niſi neceſſitas vrgeat non exercebit, laboris enim eſt inimicus. At fortè ad logicas, & dialecticas diſputationes aptus erit, ſubtilis enim, quoniam calidus. Videtur autem præcipuè ad lenocinium, aut ad hiſtrionicam artem natus, aptus enim eſt acute quædam reperire, & dicere, quæ tamen ſint parui momenti; hic amarus potius, & acerbus quam blandus erit, & inimicus ijs, qui ab ipſo aliquid petent, nam calidus plus iuſto ad ſe trahit, & propria, & aliena. Amara autem natura vetat, & impedit liberalitatem, liberalis enim eſt, ſuauem, ac placidum eſſe, ex aduerſo amarus malè cum alijs conuenit; eadem ratione inuidus, dicax, malignus, alienorum errorum delator, & cui raro fides haberi poſſit, neque plurimam exigit; Malignuſquè, quoniam amarus; inuidus quoniam vt dictum eſt, malignus, rapax ideo, aliorumque cupidus exiſtit; ex malignitate iuncta cum ambitione, oritur vilis inuidia, delator eſt, & iudex alienorum errorum, quoniam malignus; dicax quoniam acutus, & ſubtilis, eſt enim calidus, & hac eadem de cauſa ſibi ipſi placens, ſe ipſum ſuaque laudans, ſe palpans de ſe ipſo libenter loquens, etenim tenui ambitione angitur, & paruas laudes quærit, libenter autem ſerit diſcordias, quoniam malignus eſt, ſubſannator, aliorumque irriſor, dicax enim eſt, & ex alienis do-

loribus voluptatem capit. Cum itaquè tum ſecundum animum, tum ſecundum corpus eum determinauimus, qui nactus eſt temperamentum in ſecundo gradu, operæ precium eſt, vt tertium gradum deſcribamus.

De tertio gradu caloris qui temperiem conſtituit, in qua bilis ex aduſtione ſanguinis, & pituitæ prædominatur, quam bilem, aut porraceam, aut vitellinam appellant. Cap. XVII.

QVod ſi exceſſerit adeo calor, vt vix ſtare poſſit vlterius humana temperies, tertius gradus caloris conſtituetur, tuncque neceſſe eſt ſiciorem prædictis eſſe mixtionem, namque coloris, acumen vocant ſiccitatem, quæ eidem additur propter ſubdominium melancholiæ; quapropter cui inexiſtit prædominium præter naturalis bilis cum ſubdominio melancholiæ mixtę cum pituita, ſitque vt non omnino ſiccus quoniam non ſtaret, efficietur homo, cui ſecundum corpus tales in erunt diſpoſitiones, & ſecundum animam potentiæ, & inclinationes de quibus agemus. Hunc ergo videbis paruum potius quam magnum, vehemens enim calor humorem conſumit, in motibus mediocriter celerem, ac inordinatè incedentem, & enim exceſſus caloris materiam exuſtam facit, & illa ipſa impedit ordinem, & decorum, quod in operationibus appareret; figura & turpis, & male proportionata, excedit enim calor, & exceſſus omnis vitioſus eſt, in vitio turpitudo; Huius capilli rari ſunt, craſsi, nigri, plani; Rari propter paucum nutrimentum, craſsi propter raritatem pororum, calidi enim eſt dilatare; nigri propter multum calorem, qui dum in humorem agit nigrum colorem facit, quod indicat fuligo. His accidit frequenter, & cito caluefcere, quoniam deficiente nutrimento cadunt capilli, facile etiam caneſcunt propter putreſcentem humorem præternaturaliter, ſiccitatemque exiſtentem. Horum caput paruum potius ęſt, quam magnum, deficiente humore propter calorem nimium, acutum, & pineatum, calidi enim eſt, excedentiſque ignis in pyramidem attolli; facies eadem de cauſa oblonga eſt, & macra, pallida turpis, macra quoniam excedens calor conſumit humorem, pallida quoniam abſentia humoris; ſanguinis etiam abſentiã infert, qui proprie humidus eſt, & aerem refert, turpis hoc enim pro-

prium

prium eſt omnium exuſtorum vt inæqualem habeant ſuperficiem, inordinatam igitur, nam carens ordine omne turpe eſt, ſupercilia glabra, ac paucis pilis iiſdemque craſsis ſignata, paucus enim humor eſt, qui pilos alere poſſit, eadem ratione oculi parui, cæſij, quales habent ſcythæ, calidi enim eſt hoc proprium exſiccare, concaui igitur. Naſus magnus acutus. Nares vehementer dilatatæ. Magnus eſt naſus propter vultus macredinem acutus propter caloris exceſſum; Nares magnæ propter indigentiam multi aeris ad cordis refrigerationem; os turpe, patulum; turpe quidem propter eundem exceſſum, patulum quoniam calidi eſt dilatare, lingua parua ſerpentina; caloris enim eſt mouere, & ſiccum rem imminuit, dentes mediocres ſed rari, & enim ſiccitas conſtringens ipſos ſeparat interſe. Si collum oblongum fuerit non raro phthyſici fient, nam plus iuſto calidum caput ſalſum humorem ad inferiora præcipitat, quo pulmo plerumque vlceratur, ſi vero breue fuerit collum, & humeri lati, raucam ſemper habebunt vocem; Huic maxima flatuum copia in frigido ſtomacho propter nimium hepatis calorem generabitur, quare & diſtentum habebunt ventrem, & hyppocondriacæ paſſioni ſubiectum, eorundem manus, pedes, brachia, ac crura macra erunt, quoniam calor nimius exſiccat, accidit autem, etiam ſi parum habeat carnis, talis vir, tamen eſſe robuſtum, ſicci enim proprium eſt robuſtum facere, ſicca enim dura robuſtaque ſunt; cuius indicium quod qui afficiuntur melancholico ſpiritu, & deliri exiſtunt, ſiue phrænetici, his multum inexiſtit robur, cum ſpiritu ſeu humore illo agitantur, ita enim comparatum eſt, vt dicebat Heraclitus, ſiccam animam prudentiſſimam eſſe, & corpus ſiccum robuſtum, quod etiam quodammodo Hippoc. de vlceribus loquens ſenſiſſe videtur, dum inquit, *ſiccum ſano proprium, humidum non ſano*; Hic ergo cui aderit, quale corpus diximus, obſtinatus, durus, inexorabilis acer, exiſtet; etenim calor & ſiccitas excedentes id agunt. Amplius & hic idem exæſtuans, & facile in rabiem, & terribilem iram cadet, ſiquidem in his quæ habent inter ſe ſymbolum facilis tranſitus eſt, & ſi quid affirmauerit, vix vnquam contrarium dicere cogetur, ſiccum ſi quidem alieno termino difficile terminatur; & calor ad agendum non autem ad patiendum diſponit ſubiectum. Hic idem aleator, diſſipator, & paratus ad decipiendos alios erit; Aleatoris paſſio eſt, aliena velle ſine ſuo labore, & victoriam cum lucro appetere, victoriam appetens ſuperbus eſt, ſiquidem cali-

calidus, calidi proprium eſt ſuper eminere alijs; At quando vehemens calor eſt quæ ſibi conſimilia ſunt, potenter attrahit, ergo & alienorum promptus eſt raptor, quæ vero iniuſtè congregauit, eadem diſſipat, & hoc merito; Nam calidi proprium eſt diſſipare, ac diſgregare quæcumque ſuperſunt ex his, quæ in ſuam naturam conuertit. Paratiſſimus ad dolos atque ad decipiendum, ſiquidem vbicunque eſt dolus ibi etiam acumen, & promptitudo ad cognoſcendum, quid ſit è re ſua; Aſtuti omnes & callidi & doloſi ſunt, acuti pariter, perſpicaces, & ſolertes. Perſpicaces quoniam aſtuti, & penetrantes, quod caloris proprium eſt. Idem homo bibax eſt, nam calidum, & ſiccum diximus, & paratus ad loquendum, & anticipandum ea, quæ alij dicere volunt, & aliorum aſpernator, ſuperbus enim eſt, ſibi confidens, et qui ſibi multum ſapere videtur, promptus ad contumelias, et conuitia, aſpernatorem enim diximus, et hac eadem de cauſa deriſor eſt, et alijs dominari intendit, et factioſus, ſicci enim eſt ſeipſo terminari, nec facile cum alijs conuenire; Hunc autem de genere illorum eſſe dicunt, qui facile ab immundis ſpiritibus occupantur, ſi enim amplius incaluerint tales homines, magiſq; ſicci effecti ſint, illorum medietas, quæ conſtituit phantaſiam tota ignea efficitur, quare igneorum phantaſmatum, hoc eſt celerum; ferorum, immitium, immanſuetorum, à genereq; humano penitus remotorum fiet materia. At vbicumque eſt alicuius rei certa materia, ibi etiam certa forma eſt, ſunt enim ad aliquid materia, et forma; ſuccedunt ergo phantaſmata naturam horum ſpirituum referentia, quæ intellectui humano occaſionem dant intelligendi rationes rerum peregrinas, varias ſupernaturales, vnde et voces inſolitæ, et operationes toto genere diuerſæ ab humana natura procedunt, et ſic non numquam videntur obſideri ſpiritibus immundis, cum tamen ſit naturalis paſſio. Contingit autem non ſemper ſic fieri, quoniam nec ſemper adeo præter naturam afficiuntur ſpiritus, vt huius generis phantaſmatum poſſint eſſe materia. Egimus de temperamento calido, de cauſis, gradibus, ſignis in corpore exiſtentibus, & propenſionibus animi; nemo tamen ſibi perſuadeat in his neceſſitatem vllam eſſe, aut corporis temperiem nos tales facere, ſed tantum dat inclinationem, & aptitudinem, ſed quoniam aptitudines nominibus carent, neceſſarium fuit vti vocibus ſignificantibus habitum loco earum, quæ diſpoſitionem, ſeu potentiam indicant. Ratio intellectuſque noſter idem ſemper eſt in ſe, ſed

vtitur

vtitur corpore, quod ſibi obuenit, vt luſor iactu, quem ſors obtulit, at iactu optimo ineptus luſor abutetur, & peſsimum bonus luſor in ſuum vſum conuertet; Voluntas proba bene ſemper volet, nec ſinet ſe à corporis malis inclinationibus vinci, vt de Socrate legitur; qui quamuis ad impudicitiam, & voracitatem natus Zopyro videtur, ſe ipſum tamen ſuaſque prauas inclinationes vicit. Ex aduerſo voluntas improba corporis liberales peruertet inclinationes, & illas à frugalitate, & labore ad luxuriam, & ad inertiam peruertet.

De Temperatura frigida, eiuſque gradibus, & qualitatibus quæ vnum quemque gradum ſequantur naturaliter. *Cap. XVIII.*

SVperiori temperamento opponitur, id de quo nunc habituri ſumus ſermonem, hoc exoritur quotieſcumque prædominabitur frigus vltra naturam humanam, quæ optimè temperata eſt. Itaque temperamentum frigidum eſt exceſſus à corpore humano optimè temperato verſus frigidum; ita tamen, vt ipſius operationes nec impediantur, nec aboleantur; refert hoc temperamentum eam infantium ætatem in qua ipſi multiplici abundant humido, refert etiam, & multo magis proprie ſenum diſpoſitionem catarrhis, & humido excrementitio abundantium, omnino autem hoc temperamentum ſimile eſt hyemi, aquæ, amplius, & nocti intempeſtæ, & illi humori, quem pituitam vocant; ſi cui igitur prædominabitur pituita naturalis cum ſubdominio bilis atræ, ſeu melancholiæ, illum ipſum dicemus frigido temperamento affectum, & parum recedere à naturali, quando contigerit tertium locum occupari à bile flaua, quartum à ſanguine, tunc enim ſtatuetur hoc ipſum de quo loquimur temperamentum, quare ſi frigidi eſt omnia congregare, & frigidorum primum eſt aqua, probabile eſt, quid quid frigidi eſt opus, quid quid aqua poteſt, illud ipſum ſecundum Analogiam reperiri in propenſionibus, diſpoſitionibus, & potentijs hanc temperiem ſequentibus. Probabile eſt igitur, hominem hunc pilos habere ſubtiles, tenues, planos, leporinos, ſubtiles ſunt, quoniam pori cutis per quos exeunt ſunt ſtricti, ſtricti autem propter frigus; plani vero quoniam caloris eſt ipſos criſpare, cuius indicium eſt mulierum operatio, quæ igne, ignitiſue vitris ſuos criſpos reddunt,

dunt, ſi ergo calor criſpos facit, non criſpos faciet frigus; rari eadem de cauſa ſunt, quoniam vbi multus eſt crinis, ibi multa fuligo, at vbi paruus eſt calor, ibi non eſt multa fuligo, quare nec multi crines, rari igitur; frons parua, turpis cinericium referens pallorem, rugoſa; parua nam calidi eſt dilatare, frigus ergo oppoſitum facit, latam frontem habent leones, ijdemque calidiſsimi, vnde & magnanimi; turpem dicunt frontem, quæ inæqualis eſt, quæ tuberculis quibuſdam inſignitur, quæ rugis aratur. Hæ ſunt ſenectutis paſsiones, ſenectus frigida eſt, ad frigidum ergo hæc referuntur accidentia; Tempora macra, collapſa, ad lurorem accedentia, hic colorem ſtellionis refert, talis eſt, quoniam frigidus, frigoris enim proprium eſt liuentes facere partes in quibus prædominatur, ſupercilia, rara, pauca, nigra, oculi parui; frigidi enim eſt contrahere, ijdemque ſemimortui, obſcuri, ſpiritibus carentes, & mœrorem quodammodo ſpirantes, terram ſpectantes, motu tardi, & quodammodo immobiles, quales ſcribunt fuiſſe Neronis; Naſus mediocris, ſed non perfectè tornatus, caloris eſt, non frigoris perfectè operari, facies pallida, colore carens, macra potius, quam craſſa; labia ſubalbida; os paruum, calidi enim eſt dilatare; & concoctum humorem incraſſare, & vt aiunt rubrificare. Collum oblongum, venæ paruæ, non admodum apparentes, anguſtum pectus, glabrum, humeri complicati, & vt ait Ariſt. malè formati; hæc enim opera ſunt frigidi, quoniam oppoſita facit calor, eadem de cauſa manus, ac pedes parui; crura, ſuræ, brachia carne flacida, non muſculoſa, non toroſa, non affabre facta; facies incurua, ad terram prona; libenter quieſcens, raro ad agendum promptus, quæ omnia frigoris effectus, atque accidentia ſunt. Probabile eſt, ſi parui, & rari fuerit pulſus, & narium foramina parua, cor frigidum eſſe; ſi verò ſimul & venæ fuerint paruæ, & caro manuum, ac pedum mollis & frigida etiam in æſtate, ſi minimè fuerit ſiticuloſus homo, frigidum etiam erit hepar; ſi caput fuerit magnum, ſi promptus ad dormiendum, ſi vix, aut imperfectè ſemper odoret, & audiat, cerebrum etiam frigidum eſſe credibile eſt, & eo magis, quando cum cerebri magnitudine oſſa nec robuſta erunt, nec magna neque cerebrum perfectè concoquet ſuum nutrimentum, ſed multis abundabit excrementis. Huic itaque ſic corpore affecto, animus inerit abalienatus, ita vt videatur alias ſemper res mente agitare, hoc enim frigidi proprium eſt, quod congregans hæc ab illis

ſepa-

ſeparat ita, vt res alia videatur. Huius animus abditus eſt, nam frigidi eſt conſtipare; & conſtringere, auſterus etiam eſt, auſterum enim immaturum dicemus, maturitas caloris; frigoris effectus eſt immaturitas; Bouemque exectum in tarditate refert, & in quiete; frigidus enim eſt, & ceſſabundus, hoc eſt cum aliquid agendum ſuſceperit, niſi vel timore, vel neceſſitate, vel admonitionibus, vel minis incitetur in medio opere facile, & libenter deſiſtet; ſi enim calidum perfecte, ac vehementer moueat, merito frigidi proprium eſt oppoſitas facere operationes; temperans & caſtus potius, quam laſciuus, nam calidi proprium eſt laſciuire, petulentiamque exercere; ſic adoleſcentes cæteris laſciuiores, quoniam eorum ætas feruentior eſt; Conſternatus; timidus, deſperabundus, non enim confidit, calidi enim eſt confidere, ſenectutem ſapit, fabellas, & quaſdam vanas ſetentias, & prouerbia effutit, ſi quidem frigidus, & timidus & ceſſabundus; naturaliter aut egenus; aut ſibi egere perſuadet, frigidus cum ſit, quare & timidus ſemper ſibi ipſi quam plurima deeſſe putās, quod egeni proprium eſt, facilis qui faſcinationibus, & maleficijs vrgeatur, etenim timidus, debilis contumelijs ex poſitus, cuius oppoſitum ſunt calidi. Huius proprium eſt fidem frangere, non ſeruare, mendacem eſſe; ſi quidem qui frigidus eſt, timidus eſt, & qui timidus, ille neque alijs fidit, neque facile, credit, & qui alijs non credit, nec alijs fidem ſeruat; Amplius frigidi proprium eſt congregare, condenſareque; Aſt ab alijs quæ denſantur ſeparantur, fides autem nos cum alijs coniungit; frigus ſeparat, frigidus igitur fidem non ſeruat; hinc fœdifragos dicunt, præcipuè tartaros, morinos, & fere omnes populos ſeptentrionales, quod etiam Parthis attribuebant. Romani: At dicet quiſpiam Pœni calidi ſunt, ijdemque fœdifragi, & mendaces, quod etiam de Græcis dicitur, illos eſſe mendaces. Huic dubitationi reſpondebat quidam Politicus, inquiens homines ex leuitate non minus mendaces fieri, quam ex frigiditate, mendax eſt calidus, quoniam leuis, & inconſtans; frigidus quoniam timet, nec alteri fidit, ſuſpitioſus enim quod de Teutonibus dicitur; propter hanc eāndem cauſam promiſſis non ſtat, vt quamuis ſe venturum eſſe promiſerit, dicturum, aut facturum, nihil faciet, mendax enim eſt, & difficilis ad agendum, nam non libenter mouetur; frigidus enim eſt, gemebundus eſt, & cogitabundus, & dubius, timidius enim eſt, qua eadem ratione, & pilis per totum corpus caret, & debilis eſt, & ad motum difficilis; Apparet igi-

turgrauis in aſpectu, caput ad terram inclinans, in ſomnum propenſus ex eadem cauſa, & quoniam dormitabundus eſt, ideo indiligens, immemor, ab alienatus, abſtractus, & ob hoc etiam facile illi timor incutitur, & parum ingenio valens, ſemianimis ob minimam cauſam apparet; Cæterum quoniam vniuerſaliter hunc ipſum contemplamur, dicemus cogitatione valere, frigidi enim eſt cogere, promptè ſpeculari, paratus enim eſt ad vnumquodque penſitandum. At in actiuis irreſolutus eſt, quod de Craſſo, & aliquando de Arato ſcribitur, quorum vtrumque meminit Plutarchus, ſenſus interiores non admodum perfecti ſunt; excrementis enim illorum meatus ſcatent, ſi quidem cerebrum frigidum, Quod ex Galeno petitur, memoria tarda, ſed quæ recepit tenaciter retinet; frigidi enim proprium eſt continere, & congregare. Appetitus non vehemens non incitatus, ſed temperatus admodum, ad iram non promptus, niſi fortè cum his, à quibus non timet; ad voluptates, cum cibi, potuſque, tum veneris tardus, timidus enim, vixque coram ijs, quas appetit hiſcere audet: Hic idem non, auarus, ſed parcus potius, non enim accipit quoniam timet, ſed non dat quibus debet, aut ipſis detrahit, puſillus in expenſis, abiectus in infortunijs, hæ itaque timidi, & diffidentis hominis ſunt paſsiones, quod ſi manſuetus, humanus, ac placidus apparet, id agit metu pœnæ, aut incommoditatis, non virtutis amore, eſt, & in ciuilis, per ſe à riſu, iocis, ludis, lætiſque congreſsibus omnino alienus; etenim hæ adoleſcentis ſunt paſsiones in quo præualet calor; quod ſi ſcientijs ſe applicarit in Mathematicis valere poterit, nam cogitatione pollet, cuius in Mathematicis eſt multus vſus; poterit Grammaticus eſſe, & docere pueros, nam libenter exercet Imperium in eos, à quibus non timet: fabriles artes, in quibus nec multum ſit ingenij, nec multum laboris complectetur, atque hæc ſunt accidentia, & paſſiones quædam temperamenti frigidi.

De gradibus temperamenti frigidi. Cap. XIX.

Latitudo temperamenti frigidi quo ad exceſſum terminatur ibi, cum operatio lædi incipit; huius latitudinis tres ſunt partes; primus gradus eſt cum exiſtentibus temperatis ſecundum ſuam naturam cerebro, & corde, iecur frigidus exiſtit; quod cognoſcitur ex anguſtia venarum, ex abundantiori pituita, ex carnoſiore corporis habitudine, & tactu cutis frigido, ſi glabrum

fuerit

fuerit pectus, ſi crura modicè piloſa, ſi candida hyppocondria, præualebit in hoc, qui primum gradum obtinet frigoris, pituita, quam ſequitur melancholia naturalis temperata à ſanguine, & bile in portionibus, vt bilis potius ſuperet, quam à ſanguine ſuperetur, ſic enim frigidior eſt habitus conuenientibus ſimul duobus frigidis in dominio, ſed non eſt exceſſus frigidi, propter bilem, & ſanguinem abundantem. Huius hominis proprium eſt, vt libenter ocietur, parum aut nihil curis afficiatur, mediocrem habeat intellectum, libenter dormiat, moderate appetat voluptates, moderatius honores, in motibus; nec tardus, nec celer, ſegnis potius, quam plus nimio ſedulus; qui nugis, qui nouis rebus ludicris delectetur, ſubfrigidus enim eſt. Quo ad actiones, nec res alienas valde cupiet, nec proprias diligenter curabit, cum amicis manſuetus, placidus, & facilis; at idem illorum facilius obliuiſcetur, citò concipiet amorem, citò etiam relinquet, ſemetipſum nunquam extollet, & naturaliter glorioſus non erit, & cum ſeipſum non laudet, nec alios laudabit vehementer. Quibus etiam ſcientijs ſit inclinatus difficile eſt digere, valde enim accedit ad temperatum, temperatus ad omnes æqualiter ſe habet; Mathematica tamen, atque Aſtrologica cognitio magis arridebunt; at inter artes, quæ minime omnium corpus exercent; ſegnis enim eſt, & laboris inimicus; Quod ſi cum iecore conſentiet cordis, aut cerebri frigiditas conſtituetur ſecundus gradus, in quo maior corporis apparebit frigiditas. Cerebrum cognoſces frigidum, ſi multis excrementis capitis meatus erunt oppleti; ſi capilli fuerint rari, recti, ſtabiles & ſubrufum quendam alborem referentes, & ſi fuerint male nutriti, & difficile creuerint, ſi facile lædentur à cauſis frigidis externis, ſi facile diſtillationibus laborauerint, demum ſi frigida tangentibus, & frons & ſynciput totum apparuerit, proprium enim cerebri frigidi characterem hunc eſſe putant, ſi venulæ in oculis aut nullæ apparuerint, aut vehementer ſubtiles, & ſubalbidæ. Cuiuſcunque igitur tum iecur, tum cerebrum frigidum contingerit, quoniam cerebrum motus, & ſenſus eſt principium putandum eſt illum duplo ſegniorem eſſe, & inertiorem illo, cui ſolum in eſt iecur frigidum, eundemque minus eſſe officioſum, magiſque ſibi parcere, quam prior. At cogitationibus, & ſcientijs multò apptior eſt, frigidior enim eſt, & frigidi proprium eſt cogere, & in ſpeculationibus niſi ſomno impediretur qui ſenſim obrepit, maximè valeret, ſed quamuis poſſit diu perſiſtere, deficit tamen,

quoniam frigus omne labori, & motui eſt inimicum; erga amicos, honores, diuitias, atque erga ſe ipſum eo modo afficitur, ſed intenſius quam ille, qui in primo gradu eſt frigoris; At ſi cum iecore cor frigidum conſenſerit, quod cognoueris cum pulſus fuerit minor, iuſto tardior, reſpiratio pulſui proportione reſpondes; pect s pilis nudum, ſtrictum male formatum, ſi caro ſubfrigida pallida, ſi timor multus; ſi vox acuta, & fœminilis; Hunc dices timidum, auarum, ſibi ſoli commodum, amicos non curantem, honores ſpernentem, immundum, alijs fere inuiſum, qui difficile delectetur iis, quæ alijs placent; Triſtem virum, ſedatum, remiſſum, parum ſperantem, parum loquentem, & non facile alijs credentem, ſed prætimore non audentem ſe, ſuaque proferre; proprius illius character eſt, timor, triſtitia, ſolitudo, incredulitas, frigidioris enim cordis ex frigido ſpiritus multò frigidiores, ſunt generatores horum effectuum. At quicunque omnibus principalibus membris frigiditate laborantibus fuerit conſtructus, illi exactè conuenient oppoſitæ diſpoſitiones, atque inclinationes, quarum ſupra meminimus, cum ſimpliciter hominem diſcribebamus, calidum, ob hoc non tollitur, quin ætas regio, cibus, educatio, anni tempeſtas, lex, ſodalitium, ac demum ratio ipſa hæc poſſint imminuere, & immutare.

De Temperamento humido. Cap. XX.

TEmperamenta, in quibus actiuæ præualent qualitates, expli cuimus, reſtat vt ad paſſiuas veniamus. Propoſitum igitur eſt eam contēplari tēperiem, in qua humiditas præualet, dicemuſq; quid ſit, quomodo fiat, ex quibus, & à quibus quomodo alteretur, ac contingat in oppoſitam mutari diſpoſitionem, deinde, quæ nam ſint habitudines, ac potentiæ quæ naturaliter ſequi ſolent huiuſmodi temperiem. Eſt hominis humida temperies, quando in eius corpore præualet pituita cum ſanguinis ſubdominio, Aſt ita vt operationes naturales hominis, nec aboleantur, nec impediantur; Cum itaque in maſſa humorum in venis exiſtentium præualet pituita cum ſanguine iuncta, frigus pituitæ temperat calorem ſanguinis, & humor pituitæ humiditate ſanguinis intenſior effectus humidam ſtatuit maſſam humorum in venis exiſtentium, magis quam humana optimè temperata conſtitutio requireret; ſanguineus igitur hic humor, qui in venis ſic temperati hominis reperitur, minus fibroſus erit, minuſque craſ-

ſus quam ſit illorum maſſa ſanguinea, qui robuſti ſunt quique taurorum referunt ſanguinem, & cum ex hac ſanguinea maſſa, tum alatur corpus, tum fiant ſpiritus, probabile eſt diuerſam eſſe corporis diſpoſitionem, diuerſoſque ſpiritus eorum, qui hunc ſanguinem, aut oppoſitum poſſident. Ex his ergo patet quid ſit hæc temperies; fietque quando pituita ſuperabit ſanguinem (vt aiunt) in ſeſquitertia proportione, at vtraque ſuperant bilem, tum flauam, tum atram in dupla proportione ſic ſtatuetur huiuſmodi tẽperies; Ex quibus igitur ſit patet, ſi quidem prçualẽtibus humidis prædictis, & prædominantibus ſupra ea, quæ ſicca ſunt, ſtatuitur; fiunt autem huiuſmodi humores ſic proportionati propterea quod cor, & hepar, quæ ſanguineæ maſſæ ſunt effectiuap roprie ſic diſpoſita ſunt, alteratur temperies, quoniã alterantur cor ſcilicet, & hepar, hæc alterantur, & mutantur ab ætate, à cibis, ab exercitijs, ab animi accidentibus, ab aere, & ab alijs, de quibus ſupra dictum eſt. Mutatio autem vel eſt breui tempore permanens, qualis eſt ea quæ à cibo, aut ab animi affect bus nobis infertur; Quare vt ebrij, facundiores aliquando efficiuntur; aut diutius manet, quando ſcilicet hæ potentiæ ſunt affectæ, mutatumque eſt cordis, aut hepatis temperamentum, cum ſicut dictum eſt res ſe ſe habent, probabile eſt hominem tali temperamento præditum naturaliter ad ſequentes diſpoſitiones eſſe propenſum; ſi enim humidum facilè alieno termino terminatur, & quod recepit facilè deponit, ſemperque ad aliud, & ad aliud eſt paratum; ergo alienarum operationum erit imitator, qui ideò magnoperè clucescit in pueris ad imitationem propenſis, humidior enim eſt ea ætas; eadem de cauſa æmulator eſt, imitatur enim quodamodo qui æmulatur, habet ergo aptitudinem ad omnes operationes, eſt enim aptitudo potentia, quæ omni ſuo actu terminabilis eſt, terminabile ad humidum refertur, æqualibus eſt, & qui facile alijs nolit præferri, ſuaque ſorte, ſit contentus, humidus, enim eſt; humidique proprium eſt, ſine labore omnis menſuræ formam induere, in rotundo ſit vaſe. rotundus humor eſt, in quadrato quadratus, & ob hoc etiam æquanimus dicitur, nam tam in aduerſis, quam in proſperis, non admodum aut ſe ſe effert, aut diſperat; Cuchinator eſt, hoc eſt facile, & nulla ferè de cauſa cum ſonitu in riſum prorumpit, Nam cum humidus ſit facile mouetur, motus calefacit, calefactus humor in ſpiritum vertitur, & cum ſonitu prorumpit, hinc factum eſt quod aues humidiores accedente verè, cuius calore

humor

humor vertitur in ſpiritum, tunc canant, & pueri cum ſoli ſunt, & aut timore mediocri calor ad interiora feratur, aut motu augeatur ipſi tunc canunt. Circulator, & multorum; verborum eſt, qui tale ſortitus eſt temperamentum, etenim humidi hoc proprium eſt, vt agitatus facile non quieſcat, quod apparet ſi quis in quieto lacu ſaxum proiecerit. Aptus eſt qui alios ſequatur, & facile cliens fiat, facile enim alijs adhæret humidus qui eſt & eadem de cauſa cum alijs facilè concordat, & cum alijs conuenit, naturaliter quæ valde ſociabilis eſt, ſi quidem humidus humidum alijs iungitur, alijſque adhæret, quod docet aqua. Vnum eſt quod in hoc temperamento valde improbatur, facit enim hominem concubinum, & qui muliebria patiatur, mulierumque operationes non dedignetur, humidus enim eſt, quare, & perſuaſibilis, cumque aptus ſit ad parendum, & qui perſuadeatur facilè, probabiliter ad muliebres illas paſſiones inclinatur; fabulator, & garrulus, quandoque circulator eſt, & cachinator; debilis eſt, & delicatus quoniam humidus, & propter hoc muliebre referens temperamentum vt quandoque exoſſatus, & delumbatus, videatur hac, atque illac difluens, rerum ſuarum ineptus cuſtos quoniam non retinet, nec illas terminat, ac cuſtodit, ipſum enim humidum egens quo contineatur, alia non continet; vndè & rerum ſuarum diſſeminator eſt, nec illas in ordinem digerit, quemadmodum recta ratio requireret; Dormitabundus quoniam humidus eſt, humidi enim proprium eſt ſomnum inducere calorem retundendo, & ſpiritus incraſſando qui ſomnum inducunt, & hoc ex oppoſito patet; etenim ſicco cerebro præditos vigilantes, & acutos dicimus; ſic Heraclitus ſapientem vocabat ſiccam animam ergo ſtolidam humidam; Dubiorum ſemper plenus eſt, irreſolutus enim, & aptus qui ad vtramque partem contradictionis inclinetur, hoc enim eſt terminatum non eſſe; effœminatus, fœminam enim refert eius temperies, cum ſit humida, ad epilepſiam pronus, quoniam multo humido caput abundat; Errabundus, & vagabundus, dubioſus enim & ad neutram partem contradictionis valde determinatus; quare libenter huc, atque illuc peruagatur, eſt facilis etiam ad exaudiendas aliorum preces; facile perſuadetur, eſt enim credulus, credit autem, quoniam alienos terminos, opiniones, & dicta facile recipit; fatuus eſt garruluſque quod a multo humore in ſpiritus reſoluto naſcitur, qua ratione etiam, & flatulètus eſt, & maxime pronus ad lachrymas, effœminatus enim eſt, vndè, & mollem ani-

animam fortitus eſt, flebilem, & quæ obdurare, & longum perſiſtere in ſua opinione nequeat. Naturaliter fædus, & ſordidus, plenus nempe ſuperfluitatum, & ſordium exiſtit, humidus enim eſt vbi autem multus humor; ibi contingit putredo, putredinem ſordities ſequitur; Idem fortunatus eſt, præſertim in rebus paruis, fatuus enim eſt, & inconſideratus; *fatuos autem, & ſtultos fortuna adiuuat*, dicente vulgo vbi multum intellectus, ibi parum eſt fortunæ. Proprium ſolet eſſe huius temperaturæ vt per ſæpè eadem verba reiteret, bis, ac ter eadem repetat; cum ex abundantia humoris ſit ſordidos, & obliuioſos ſpiritus naſci, qui eandem Imaginem, & ſuſcipiunt, & iterant; Vt ſi materia eſt indiuiduationis propria cauſa, ita humidi multitudo multos generans ſpiritus eiuſdem naturæ idem replicare facit. Geſticulator manibus eadem de cauſa exiſtit; Nam proprie geſticulantur qui multis abundantes ſpiritibus multa dicere vellent, ſed formas non habent, quibus hos ſpiritus informent, formas dico phantaſmata, quæ in potentia imaginatiua nata ſunt exiſtere; facile huiuſmodi homo alijs gratulatur, gratificaturque optime, nam ſociabilis eſt, & qui facile adhæreat alijs, eorumque voluntates ſequatur; Præter has animi diſpoſitiones, ſecundum corpus etiam temperies hæc gutturoſum facit, ſiquidem humidus, & eadem de cauſa oſcitantem, & hiulcum, humidi ſiquidem eſt replere, repleta labia hiant, & quoniam humidus eſt, nec durus, nec obſtinatus, ſed credulus, ideo etiam humilis exiſtit, & quoniam fatuus animum plebeium gerit, atque vilem ideò ignauus, & imbecillis, & rerum imperitus, & quoniam credulus, & dubius, ideò inconſtans, & indifferens, ad hæc, aut alia facienda, & cum ſit obliuioſus quoniam dormitabũbus, ſi quidem humidus, ideo eſt in expertus, ex multis enim memorijs fit experientia, & iners eſt, atque pueri naturam ſapiens, & ob hoc etiam intemperatus, ſunt enim intemperati pueri, & qui facile labore afficiantur, & languidus fiat linguam fert lubricam, plenuſque rima um eſt, facile dicens quæ ſcit, quæ ve neſcit, garrulus enim eſt fatuuſque. Nam paratus ad ſeruiendum, & ad parendum; humidi enim eſt alieno termino terminari, & quoniam, vt dictum eſt humidi eſt putreſcere, morbidus igitur eſt, & eadem de cauſa muccoſus, multo enim ſuperfluo abundat humore, quo fit vt non ſolum muliebris ſit, ſed etiam mulieroſus, & qui facile in omnibus, ijs morem gerat; Habet vnum quod promptè ſua mutuat amicis, proprium enim eſt humidi diffluere, & rebus alijs

iungi,

iungi, & communicari, quare & quæcunque habet, cum alijs etiam communicat; Nugis fabulis delectatur, ſi quidem à ſtabilitate, ac morum grauitate alienus eſt, hæc namque melancholici paſſio eſt, quæ tertiam refert, hæc de qua loquimur, aquam & quoniam humidum alienas facile veſtit formas, ideò & ad parendum facit aptum hominem, obſequioſum, amicis obſecundantem, ſed tamen obliuioſus eſt, & penæ dormiens, oſcitabundusque ſi quidem ſomno deditus, ſed inter tot qualitates vna eſt valde damnanda, etenim aliquando turpes veneris cogitationes animo volutat. Naturaliter in ſuis cogitationibus perplexus, at pendulus eſt, quoniam dubioſus eſt, & ob hoc perſuaſibilis, & petitor iterum eiuſdem rei, ſuarum rerum non eſt admodum cautus conſeruator, frigidus enim eſt, & profuſus, aquæ enim, & humidi eſt, niſi contineatur à frigore, aut vaſe, profundi; Puellis delectatur, ſimile enim in ſimile fertur, ſed quoniam humidus eſt, & irreſolutus, quæ plerumque cogitat, non exequitur; quoniam autem, vt dictum eſt, dubioſus eſt, & perplexus, ideo quæſitor, & quandoque odioſus, percunctator autem omnis garrulus, & quoniam humor redundat inconcoctus, plerumque ideò raucus eſt, & inæqualem vocem emittit, naturaliter etiam rudis eſt, non enim ſuſceptas retinet formas; Vino, veneri, gulæ, ocio, riſui, iociſque libenter indulgens, à labore enim abhorret, labor enim reſiſtentiam quærit, reſiſtentia duritiem, durities à ſicco non ab humido prouenit. Hinc etiam ſemiſopitus apparet, ſemiuirum enim ſpadonem repræſentat; plerumque etiam ſordidus, & ſuccidus eſt; iuſto enimm humidior. Ventoſus etiam, quoniam humor calefactus in ventum reſoluitur, vndè & verboſus, & inconſtans, & ſibi ipſi parum conueniens, non enim ſtabilis eſt, quoniam humidus hæ itaque ſunt proprietates, quæ hoc temperamentum ſequi videntur.

De ſicca temperie. Cap. XXI.

SI corpus humanum à naturali temperamento ab errauerit propterea quod ſiccitas in ipſo præualeat pluſquam oporteret, quod fit quando atra bilis cum ſubdominio flauæ ſuperauerit, tunc & corpus tale erit, quale dicemus, & per ſuos gradus certas in anima pariet diſpoſitiones, quoniam autem atræ bilis multæ ſunt ſpecies, neque vniuoce de omnibus nomen hoc prædicatur, hinc fit vt pro eiuſdem diuerſitate, & corpora diuerſa

appa-

appareant, & inclinationes longè diuerſæ. Atra bilis, quam melancholiam dicunt, duplex eſt, vna naturalis, quæ fex ſanguinis dicitur, ex quatuor humoribus, quæ nos ſtatuunt, maſſam componens, quæ in arterijs, & venis continetur, venæ nutrimentum partium ſolidarum conſeruant, arteriæ ſpiritibus, ac calori naturalı materiam ſuppeditant, quapropter cum humor hic in corpore noſtro eiuſque compoſitione eam habeat rationem, quam in cantibus, & harmonijs habet vox grauis, mirabile eſt quantum diuerſitatis huiuſmodi temperamentum ſecundum, quod magis, aut minus excedit melancholia apportet; quibus igitur naturalis melancholia prædominabitur ſola quantitate peccans cum humor hic terram referat, terræque vices in noſtra conſtitutione gerat, firmum, ac ſtabile corpus, animique propenſiones ſtabiles, & duras generabit; tripliciter autem id fiet aut enim parum excedit, aut mediocriter, aut multum, vltra quem tertium gradum hominis operatio non permanet, ſed iam ægrotare, & animo moueri dicimus. Qui verò præter naturalis humor eſt, & melancholicus, hic eſt quadruplex prout contigit quattuor humores naturales aſſari, & vt dicunt Medici incinerari, & horum vnus quiſque aut aſſatur, vt dictum eſt parum, aut mediocriter, aut multum, & vel eſt per vniuerſum corpus diffuſus, & totam corporis ſubſtantiam occupat, vel circa partes principales tantum reſidet, qua propter diuerſæ huius ſunt temperamenti ſpecies, vna in genere naturalis eſt, præter naturales plurimæ, & inter ſe diuerſæ.

Primum itaque exceſſum humoris naturalis, & corporis habitudinem, & animi inclinationes inde orientes contemplemur.

De Temperamento ab exceſſu naturalis melancholiæ oriente. *Cap. XXII.*

PAuci admodum homines cum ad conſiſtentem ætatem peruenerint reperiuntur, qui ſi natura, ſaltem, aut ætate, aut curis, aut aliqua alia de cauſa huiuſmodi non induant temperamentum, nam quo magis à pueritia recedunt eo mag s ſicci, & frigidi fiunt, cauſa autem propter quam credibile eſt in homine præualere huiuſmodi humorē eſt, quoniā homo compoſitū quoddā perfectū eſt, terminatur igitur proprio termino, in ipſo igitur prædominatur ſiccitas, quare & primum ſiccorum, hoc autem

terra eſt, terram igitur in eodem præualere neceſſe eſt, non autem terra, quæ elementum vniuerſi eſt, ſed id quod in ipſo eam rationem habet quam terra in vniuerſo, hæc autem eſt atra bilis naturalis, hanc igitur prædominari neceſſe eſt, ſi ſimile ſimili alitur, & conſeruatur, & oſſa, & membranæ, & cartilagines, & vaſa, quorum natura ſecundum ſe ſicca eſt, ſint maxima pars corporis noſtri, hinc patet ſecundum molem humorem hunc debere eſſe longe alijs ſuperiorem. Cui itaque hic humor non ſolum ſecundum molem, & ſed etiam ſecundum virtutem præualuerit; nec pituita, nec ſanguis illius attemperauerit ſiccitatem, ſed illam ad auxerit potius bilis flaua, huius corpus tale erit. Caput magnum potius quam paruum, quoniam valdè oſſeum, crines nigri, in extremo criſpi, duri, ſpiſſi, frons magna, quadrata, ſupercilia hiſpida, nigra, craſſa, oblonga, penè iuncta, tumida, & eleuata, tempora concaua, oculi aut nigri, aut valde cærulei, ſeu glauci, parui, ſubobſcuri, concaui non valdè mobiles, ſicci, aures exculptæ, candidæ, purgatæ, aliquibus pilis in principio cauitatis ornatæ, naſus magnus, albus, narium foramina magna hiantia, malæ non carnoſæ ſubſqualidæ, cineris bene cocti quodam modo colorem imitantes, cui aliquid ruboris ſit immixtum, idque in iuuentute, facies oblonga, os magnum, latum, dentes robuſti, albi, magni, labra ſubtilia, rubra, robuſta, lingua mediocris celer, rubra, mentum acutum, maxillæ inferiores magnæ, bar ba plena, pilique craſſiores, ſubnigri, qui multam partem vtriuſque genæ occupent, collum breue, craſſum, ſolidum, pectus latum, durum, humeri elati robuſti, brachia manuſque oſſeæ, caro pauca, eaque dura, & cutis nec mollis, nec tactu calida, nec ſuauis, pectus carne vacans piloſum, coſtæ magnæ duræ, compreſſus venter, ampla latera, nates duræ, carne carentes, oſſeæ, quod idem de fæmoribus vtriſque intelligendum eſt, in his enim proportione oſſa carnem ſuperant, pedes item magni, macri oſſei, ſenſus vegeti, & præcipue oculorum, & aurium, & odoratus, ſed non ſimiliter guſtus, & tactus ſe habet, motus tardus, firmus æqualis, vox grauis, interrupta, difficilis hoc eſt, quæ non prompte poſſit expedire, quid ab homine ſentiatur, ſomnus naturaliter breuis, potus appetens poſt laborem, atque æſtum, quem diu vix tolerare poſt. Cibi mediocriter appetens, non ad modum ad generationem aptus, quæ omnia, vt apparet, ſiccitatis prædominium oſtendunt, cui igitur hæc omnia, aut illorum maior pars ad erit, atque præſertim

circa

circa membra principalia, ſicut in noſtro corpore eſt, cor, cerebrum,& hepar, huic probabiliter tales in erunt animi propenſiones; ſecundum quod paſſiones ſunt compoſiti ex anima, & corpore, in quo (vt alias puto dictum fuiſſe) conditiones quidem, & paſſiones hominis, & animalis inſunt per animã,& formã ſic autem aut aliter exerceri facilius, vel difficilius poſſe, eſt per naturam materiæ, & inſt. umentorum quibus vtitur anima.

Per h bitum autem tales fiunt operationes, ſecundum quem tales etiam dicuntur eſſe homines, vt quod ſentiat & appetat homo, & imaginetur, habet à forma, quod melius, vel peius ſentiat habet a materia, hoc eſt vt poſſit ſic, vel aliter animæ functiones exercere, quod autem in appetendo hunc, vel illum modum teneat id ab effectu ſi non ſemper, ſi ſemper ab habitu procedit. Quod ſi quæ hactenus dicta ſunt in ſe veritatem habeant, & inclinationes ſunt compoſiti paſſiones, neceſſario talis compoſiti erunt tales, ſit itaque huius temperamenti definitio per quam ſequentium paſſionum cauſas explicemus.

Eſt temperamentum ſiccum ſecundum naturalem melancholiam, illius corporis humani, in quo humor hic melancholicus ſiccus, & frigidus terram referens cum ſubdominio bilis flauæ prædominatur, aut per ambitum totius corporis, in venis, & arteriis exiſtens, aut circa partes principales, quæ prima ſunt functionum hominis, & animalis principia. Quod ſi hoc verum eſt, manifeſtum eſt, quod huic in erunt paſſiones quæ terram referent,& illis proportione reſpondebunt, ergo durus erit, hoc eſt difficilis ad recipiendum, propenſuſque ad ea retinenda, quæ ſuſceperit, eſt autem notandum nos vſuros eſſe nominibus habituum loco nominum potentiarum, & impotentiarum naturalium, quibus illæ carent, vt in libello prædicamentorum, hic ergo durus erit, & auidus, & auerſus ab aliorum opinionibus, & obſtinatus, quoniam ſiccus & enim ſiccum difficile alienas impreſſiones recipit, & difficilius proprias exuit, hac de cauſa breui loquens erit, ſi quidem ſiccus eſt, nec facile multas recipit ſpecies, quare nec multos facit conceptus, qui egeant multa oratione, caluus fiet quoniam ſiccus, & ſi caluus in venerem propenſus,& quoniam ſiccus fere in fæcundus, ſeminis enim ratio in humido, & calido poſita eſt, ex quo Thales aquam rerum dicebat eſſe principium hic idem calumniator erit,& latenter alijs nocere quæret. nam non eſt ad amandum propenſus,nec alijs l benter coheret, eſt enim ſiccus, & ſagax item propter eandem cauſam,

 & cir-

& circumſpectus, quoniam conſideratus, talis autem, quoniam tardus eſt, & tardus quoniam grauis, grauis autem ſiquidem terram refert, ob id taciturnus, & in ſuis dictis conciſus, ſiquidem breuiloquus, & conſtans, immobilis enim terra eſt, & eadem de cauſa contractus eſt, & contumax, & malorum alienoru liber explicator, & nunciator, ſi quidem, nec amat, nec ab alijs amatur, non amat quoniam nemo illi placet, neque ipſe alijs, nam nemini adhæret, aut conſentit, quoniam ſiccus eſt, & proprio terminatus termino, vix quicquam à quoquam fieri poteſt, quod illi placeat, neque enim facile alienas admittit, opiniones, & placita, abſtractus eſt, ſiquidem, tacitus, & acerbus, hic enim ſapor ad terram refertur, in laboribus, & ſuſceptis muneribus eſt aſſiduus, & vſque in finem perſeuerans, quoniam conſtans eſt, & durus; alienorum auidus, quoniam auarus, & quæ percepit aliena, non facile reſtituit, quare & cuſtos, & ad cuſtodias exercendas aptiſſimus, nec enim facile perſuadetur, nec amore, nec præmio, nec obſequijs delinitur, vnde eſt aptus ad militiam exercendam, nam, & laborum patiens, & alienorum appetens, & conſtans, & cum alijs iunctus non timidus; ijſdem ſuperioribus cauſis, & firmus, & robuſtus eſt, & fortis & ad iaculandum promptus, cum dura, & robuſta habeat brachia, & pene immobilis ſit reliquo corpore, ſiquidem hoc terram refert, difficile lachrymatur, quoniam ſiccus eſt, & quoniam ſiccus, ideo immiſericors, & ob hoc ſeuerus, qua de cauſa factum eſt, vt vix alicui fidat, cum enim neminem amet, nec ſe amari putat, incredulus itaque, & qui difficile perſuaderi poſſit, hoc enim ſicci proprium eſt, qui difficile externas admittat impreſſiones; indignabundus, qui ſibi multum placeat, ſiquidem alios non amat, & ob hoc non bene ſociabilis, quoniam alijs non adhæret, quod humidi proprium eſt, hic autem ſiccus, qua propter & quandoque mores aſininos, & aſperos habet. nam nullius rationem, habet, & nullos curare videtur, qua propter aſper, et indiſcretus iudicatur, ſibi itaque plerumque videbitur miſer, et calamitoſus, et querulus erit, conqneretur, quidem de alijs, quoniam à nemine amatur, quoniam non amat, quare nec alij placere ei curant, et cum illi non placeant, offenſus remanet, idque illi diſplicet, vnde conqueritur, miſerumque ſe dicit, et ob hoc plerumque calumnioſus efficitur, & alios odit; eiuſdem rationis eſt marcor, & pallor, qui plerumque in ipſo reperiuntur, ſiccitatis enim iſti effectus ſunt, pro vt apparet in cinere, qui cum ſiccis ſimus ſit,

idem,

idem, & pallidus, propter hanc eandem cauſam in ſomnis eſt, humoris enim vaporoſi ſomnus effectus eſt; & idem ob eandem cauſam murmurator eſt, quoniam calumnioſus, & cum macer ſit, & ſiccus, non eſt extenſi corporis, ſed paruus, & mundus; ſordes enim excrementitij humoris prædominium indicant, & paratus ad obiurgandum alios, durus enim ſibique placens, & quoniam durus perſeuerans, & pertinax, & cum ſibi placeat duruſque ſit, ideo peruicax; dicitur, & ceruicoſus, idem ſi quando bile offenditur terribilis, & rabioſus exiſtit, reclamator, & recuſator omnis concordiæ, amicis repugnans, bonorum conſiliorum repulſor, rigidus, moroſus, ſeuerus ne dicam crudelis, amarus, & aſper, quapropter & ob eaſdem cauſas taciturnus eſt, nam ſi humidi multum loquentur, ex oppoſito ſicci erunt taciturni, huius natura eſt doloſa, eſt diſſimulatrix, cumque naturaliter multum vigilet, multa etiam excogitat, & ſuſpicioſus, & odioſus propter hanc cauſam apparet, veterator, aptus ad imponendum, alijs ſecretis, et vetitis cognitionibus, et ſcientijs deditus; magus, geomantes, criticus quandoque ignobilis, nullius penſi homuncio, mechanicus aptus ad alchimiam, aut medicinam exercedam, quæ omnia ſiccitatis, & ſolitariæ naturæ ſunt effectus, et conſequentia, ſi calor deficiat.

Hactenus quid vniuerſaliter prædominans melancholia in noſtro corpore producat, et preſertim naturalis patet, ſed priuatim naturalis melancholia quo ad corpus fortes robuſtos, duros facit homines, quo ad animā militares, magnanimos, conſtantes, vehementes ſi quid cupiuerint; Aſt cum ſine affectu ſunt placidos, quietos, taciturnos, ad iuuandum paratos; Quando autem contigerit naturalem hanc melancholiam accendi, & adduri vehementiſſimi ſpiritus efficiuntur virique vltra humanam conſuetudinem extolluntur, & quaſi enthuſiaſmo correpti, alij in actionibus, alij in contemplationibus mirabiles exiſtunt tales narrat fuiſſe Ariſtoteles ſectione 30. problema 1. viros magnos, & heroas.

Herculem, Socratem, Platonem, Homerum, concluditque nec in virtutibus, aut ſcientijs, aut arte vlla poſſe excellentem euadere virum, niſi qui ſit melancholicus, melancholia naturali dum vritur, nam actionum, ac contemplationum excellentia in duobus conſiſtit, in æquabilitate, & duratione, durat quod ſiccum eſt, idem ſibique ſimile ſemper eſt, quod ſemper quieſcit, quod terræ accidit, quam refert melancholia, quæ cum ſemel

calo-

calorem ſuſceperit, halitum emittit calidum,& ſiccum, qui caliditate actiuus eſt,ſiccitate ſtabilis, & firmus. Demum ſi calor & exuſtio magis, atque magis creuerit, vehementioremque conceperit ignem furioſus efficietur homo, quod accidiſſe legimus plerumque alijs, & Herculi qui Megaram vxorem, & filios furore addactus occidit, manifeſtum eſt igitur heroas atra bile naturali non caruiſſe, nec ſupra ſtatum ordinarium eleuari homines poſſe, admirabileſque facere operationes, niſi in his humor huiuſmodi præualuerit, & ſimul calorem plus iuſto maiorem ſuſceperit.

De temperamento in quo ſiccitas ex aduſtione bilis flauæ, aut ſanguinis præualet. Cap. XXIII.

QVicunque bilis flauæ naturam cognouerit, quid ipſa poſſit cum aduſta erit, etiam noſcet, aduſtione enim fit ſiccior, & magis amara, & quoniam humidum omne ſublatum eſt,quod calorem lenire ſolet, fit & frigidior quodammodo, quam prius eſſet, quapropter in quibus plus iuſto abundauerit aduſta flaua bilis erunt ſicci, tenues, macri,ſubrubri,naſo acuto præditi, paruo capite, macro, acuminato, fronte parua, oculis paruis, ſiccis, lucentibus, barba ænea, non multa, collo ſubtili, longo, pectore ſtricto, manibus, ac pedibus paruis, potius quam magnis, motu concito, ac vehementi in principio, qui parum duret laborum impatientes, ſæuiſſimæ iræ, et quæ raro niſi per vindicta n poſſit ſedari, accedunt igitur iſti ad ſiccum, et ſubfrigidum temperamentum, ſiccum propter bilis flauæ dominium ſubfrigidum propter exuſtionem, dum igitur bilis exuritur audaciſſimi ſunt, furibundi, impatientiſſimi, cum ira deferbuerit, iam abiecti,atque humiles,& qui præcipue referant eos, qui cum ob vehementiam febris delirauerint, prompteque corpus mouerint, recedente febre, ac delirio, vix loqui, aut manus mouere poſſe videntur; hos dicunt, quamuis minime fœcundi ſint, valde tamen ſalaces eſſe, ſalſus enim, et ſeroſus humor abundans illos vellicat, et ad venerem incitat, et cum ſalaces ſint,et amatores,iracundi, ſuſpicioſique ſunt, et Zelotypi, et queruli; eadem de cauſa cum irati non ſunt neque bilis flaua vritur, neque affectu tenentur, manſueti ſunt, et timidi, et miſericordes, at offenſi crudeles, et qui vix parcere ſciant, niſi ſuas iniurias vlti fuerint; videntur etiam vafri, et aſtuti, quoniam timidi ſunt, et quo-

quoniam timidi, etiam ſubtriſtes, nam, vt dictum eſt, ad frigiditatem accedunt, qua fiunt ſuæ debilitatis ſibi conſcij; ſunt etiam plerumque vani, vanos dico, qui ſine ratione multa loquuntur, multa aggrediuntur, ac demum nihil concludunt, nihil quod ſit ex vſu agitant; tales autem ſunt, quoniam ex bile flaua mobiles valde ſunt; ex eadem dum aduritur furioſi, at quando aduſta cinerem refert male, ideo falſi exiſtunt; quare ſibi conſtare nequeunt, & quoniam non conſtat, ideo vani dicuntur, eadem autem cauſa, quæ illos ſecundum corpus caluos facit, macros, et pallidos, generat cerebrum ſiccius, minus igitur contractiuſque, quare et vegetos habent ſenſus, ſed ob ſpirituum paucitatem, qui facile impediantur, et ſi cerebrum eſt tale, ergo neque magno erunt capite, & quamuis vanos diximus, quas tamen ſuſceperint impreſſiones, et præcipue odij, vel iræ magnopere diuque retinebunt; Aliquando igitur celeriter diſcurrent, citiſſimeque deliberabunt, aliquando tardi, duri, & inepti videbuntur; Nam illorum habitudo plerumque triplex ſe ſe offert; Quoniam vel bile ſunt affecti, & bilioſum temperamentum nacti dicuntur antequam aduratur bilis, vel cum aduritur, vel poſtquam iam combuſta eſt; pro quarum diſpoſitionum diuerſitate, contingit homines hos varie ſe ſe habere ad oblata, neque eadem eodem modo ſemper iudicare, ſed modo petunt, modo ſpernunt, modo repetunt, quod nuper omiſerunt; videntur etiam libenter alios calumniari, nam timidi ſunt, & ambitioſi, timore ad latentem detractionem adiguntur, detractionem ſuadet ambitio; libenter etiam de ſuis amicis conqueruntur, & male cum domeſticis conueniunt, ex eadem temperamenti ratione, obſtinati, & contumaces, id enim ſuadet ambitio, quam ſuggerit bilis, cum vritur; alijs enim ſuperextare quærunt, igneam enim ſuſcipiunt qualitatem, & queruli ſunt, & amarulenti, quod cauſatur ab ea parte, quæ exuſta in cinerem verſa eſt.

At ſiccitatem, ſi in homine exuſtio ſanguinis cauſabit, dum vritur, lætum, hilarem, cantantem, ridentem loco ſtare neſcientem videbis, eius enim ſpiritus ſimiles ſunt illi æſtui quem videre ſolemus circa ſummas glebas de Menſe Auguſti; aer enim quodamodo tremere apparet, atque flammam, & motum, qui videtur in accenſa pruna imitari, at quando iam exuſtus fuerit ſanguis, & pene ille Baccho ſimilis enthuſiaſmus deferbuerit, tunc facies quieta, homo demiſſus, timidus, pauca loquens, nulli iniu-

rius,

rius, aut inimicus, ſed ſibi ſuas res agens, & de rebus ſuis cogitans, quare inæqualis videbitur, modo facetus, & leuis, modo ſeuerus, & grauis, aliquando ad donadum promptus, aliquando plus æquo parcus; & ſuarum amator, & conſeruator rerum; erga Deum, & diuina bene animatus, religioni deditus & potius ad ſuperſtitionem ex timore,& diffidentia, quam ad impietatem inclinans. Neceſſe eſt autem, vt dictum eſt, quandam in ipſo inæqualitatem ſpectari, aliter enim ſe habebit antequam vratur, & craſſeſcat ſanguis, aliter dum aduritur, rurſus poſt aduſtionem longe; alius apparebit; in primo ſtatu, lætus, iucundus, beneuolus, liberalis; dum autem aduritur, pene riſu, ioco, ſalibus, facetijs in delirium agitetur, moleſtus & vecors penitus iudicabitur poſt vſtionem.

Illi eidem cum iam aduſtus factus eſt ſanguis, & vt Medici dicunt, incineratus, oculi concaui, facies ſqualida, ſilens lingua, timor, parſimonia in ſolita, ſollicitaque anxietas, & auerſatio à ſocietate; ſi vero acciderit poſt craſſitiem adeptam humorum, hos eoſdem iram, aut furorem, aut aliquem alium affectum vehementem ſuſcipere, & humores iterum inflammari, in eas cadunt operationes, quæ propriæ ſunt eorum, qui melancholia feruefacta laborant, quorum meminit Ariſtoteles xxx. problematum primo, & hæc de his dicta ſint.

De ſiccis, eo quod in illis pituita exuſta eſt, & primum de ſubtili, & ſalſa. Cap. XXIV.

QVi ſicci ſunt, eo quod in ipſis exuſta ſit pituita, bis pituitæ vſtio duplex eſt, altera facit illam ſalſam, & fluxam, acrem, & ſubtilem, altera facit craſſam ſordidam, coriaceam, tenacem, obſtruentem; In quibus prior abundat ſimiles ſunt ecthicis, vel phthyſicis; qui à poſteriori occupantur, ſimiles ſunt, (ſi audiendus eſt Fracaſtorius;) ijs, qui vehementi morbo Gallico laborant; Horum vtrorumque temperamenta breuiter percurrenda, & vtriuſque corporis, & animi reddendæ ſunt propenſiones.

Antequam tamen procedam mihi vnum ſubit notandum; Temperamentum vt ex accidenti fieri poteſt, & mutari, ex hoc in oppoſitum tranſire, ita putandum eſt, quod nunc fit ab exteriori cauſa, idem potuiſſe ab interiori etiam fieri, & in primordio generationis, quæ ſententia etiam Ariſtoteles eſt in prædica-

camento qualitatis; & mutantur humores,& nouam craſim, nouamque faciunt harmoniam,vel ſecundum totum corpus; & totam maſſam humorum, qui in vaſis continentur, vel ſecundum aliquam partem, qua contingit ali tale viſcus præcipuum, quod eſt inſtrumentum talis operationis, & ſubiectum eius potentiæ, quæ nata eſt talem facere operationem; Vt autem nataralis temperies mutari quidem,& alterari poteſt, corrigi & in melius reduci, ita aboleri ſimpliciter nuſquam poteſt; vt enim eſt in prouerbio *non dediſcit vlulare lupus, & naturam expellas, furca tamen vſque recurret*; Ita accidentalis oppoſitis habitibus operationibus, dietis, medicamentis penitus aboletur; quare non eſt mirum ſi qui caſu furioſi, aut ſtolidi, aut deliri fiunt, illi curari & in priſtinum ſtatum reſtitui poſſunt; at qui à primordio, naturæ, ac prima naturali conſtitutione talem ſortiti ſunt corporis temperiem, & naturalium membrorum imperfectam ſtructuram; vt læſum ſit actionum,& operationum ſuarum principium, illi nulla ratione reſtitui poſſunt, vulgo id enim dicitur, *quod natura dedit, tollere nemo poteſt*, qui ergo naturalem ſortiti ſunt ſiccitatem, eo quod aduſta quodammodo ſit pituita; à calore præter naturali paſſa fuerit, ita vt naturam illam benignam exuerit, ſecundum quam naturaliter dicitur frigida, & humida; & qualis eſt carnis lotura, quo ad colorem, & ſubſiſtentiam; & qualis eſt ſapor iuris vitulini ſale,& pinguedine carentis, nulloque penitus odore ſecundum ſe præditi; eò quod paſſa fuerit à præter naturali calore, & ideò facta fuerit ſubtilior, acrior, & magis ſalſa; quam paſſionem etiam ex permixtione flauæ bilis quandoque acquirit, ſi (inquam) talis pituita in maſſa ſanguinea, ſiue humoribus corpus alentibus prædominata fuerit, tale iam ſtatuit corpus, cui tales adnectentur potentiæ, ſecundum quas ad tales operationes, & habitus anima tale corpus informans inclinabitur, & homo niſi in oppoſitas diſpoſitiones ſe ſe vertat, talis ex habitu dicetur, cum inclinationes naturales fuerit ſecutus. In quo igitur homine contigerit talem ſuper abundare pituitam, naturaliter exuſtam, tenuem, ſalſam, & ſiccam; Huius capilli ſub flaui, & ad ſubcinereum colorem accedentes rari plani, ſubtiles in extremitatibus diuiſi, caput mediocre, frons parua, plana cinericia, facies parua in latitudine, ſed oblonga macra, oculi glauci concaui naſus magnus, ſubtilis, acutus, mentum longiuſculum & collum pariter ſubtile,& longum, macrum rugoſum; aures valde ſubtiles, & carentes carne, os

paruum, barba turpis pauca, colorem cinereum ſubrutilo mixtum referens, dentes, & gingiuæ turpes; dentes quidem lutei, at ſub albidæ gingiuæ, à dentibus ſeiunctæ, & cauernoſæ, oſſa parua, ſubtilia, pectus anguſtum, depile, macrum, mediocriter concauum, digiti longi, vngues parui, adunci ferè manus, tota macra alba, vires debiles; in curuum corpus; crura ſubtilia, pedes mediocres, macri, motus tardus, vox exilis, rauca inæqualis; & cætera his accidentia ſimilia, quæ rationabiliter conſequuntur, aquam a vehementi ſiccitate paſſam; cuius exemplum eſt, vel lixiuium, vel aquam maris; temperies igitur hæc quæ tale format corpus, tales etiam in animam videtur inducere potentias, & inclinationes, quas ex Ariſtotelis ſententia diximus, ſequi naturam ſubiecti; duplex autem potentia eſt; quæ animæ eſt facultas ſiue ea actiua ſit, ſiue paſſiua, quæ eadem forma eſt, priuata illius membri, cui contingit eſſe organum operationis illius facultatis, ſiue potentiæ, quæ membrum informat, vt ars ſecandi, eſt potentia, facultatis vel artis fabrilis, quæ forma eſt fabri, & principium operationis ſerræ, operatio autem ſerræ talis eſt, qualem ſerra facere poteſt, ſecat enim ſerra per ſectorem, talem autem facit ſectionē, propter eam, quam habet in ſe ipſa potentiam, ſecundum quam peius, aut melius, ſecare dicitur; homo per animam appetit, iraſcitur, audit, videt, at propter corporis membra peius, vel melius ſecundum naturam diſpoſita, vel ſic, vel aliter ſe habentia, ſic vel aliter magis, aut minus iraſcitur, appetit, audit, videt; ſed iam pluries, hæc repetita fuere; quod facultates à forma pendentes ſunt, quod autem eadem ſpecie operationes inter ſe differant, id à materia pendet, ex qua inſtrumenta ſunt, quæ tales exequuntur operationes; Si itaque corpus taliter temperatum fuerit, vt in eo prędominetur pituita ſubtilis, & ſalſa quæ ſcilicet paſſa fuerit à præter naturali calore ex flauæ bilis admixtione; Productuſque ideo fuerit homo temperaturę ſiccæ, eo modo quo dixi; cum pituita à bilis paſſa prædomio. Huius caput, & pectus continuis penè diſtillationibus acribus, & ſalſis vexabitur; & hyemali tempeſtate catarrho maxime torquebitur, in ardoribus æſtiuis frequenter anginas, & guttris patietur inflammationes, primum itaque in contemplationibus erit rudis, & ineptus; in actionibus autem tardus, & irreſolutus, quoniam ſubtilibus caret ſpiritibus, qui promptum in contemplando faciant hominem, quamuis autem in actionibus, & operationibus tardus

fit,

ſit eas tamen, appoſite faciet, ac probe ad finem perducet; Mihi autem ſpectanti, hoc euenire in quam plurimis artificibus, qui ſunt talis temperamenti, putaui bilem dediſſe aliquid acuminis; at pituitam tarditatem addidiſſe, hinc viſa eſt eluceſcere quædam medioeritas, ſecundum quam quidam recte poſſunt operari; At ſi conſtantia operationum pendet à terra, & ab eo, qui terræ proportionatus eſt humore, operæ prętium erit rem non multam in hoc homine eſſe conſtantiam, non ob hoc tamen dico infidelem, ſed illum qui diu in laboribus, in actionibus, in contemplationibus durare nequeat; & quoniam talem mixtionis humorum temperiem ſortitus eſt; paratus erit ad timorem, etenim ſubfrigidus, & cautus erit; quare & aliquando quos timebit, & odio habebit calumnijs impetet, harum non vanus, & futilis auctor, & quoniam talis eſt ideo circumſpectus, & qui difficile omnia, quę audiet, neque ab amore aut ab odio, aut alio affectu facile mouebitur, ad quid quam agendum, quod illi damnum, aut dedecus afferre poſſit; propter & contractus, & parcus erit; & qui ſua difficile det, quamuis aliena, neque rapiat, neque cupiat, rerum creditarum non minus atque ſuarum cuſtos; hoc enim ſicci eſt continere, & cohibere, ſalſi autem ſtringere & penetrare, quare & curare; A riſu, iocoque ludo, & ludicris longe remotus, ſeria ſemper agens, aliquando mordax, ſalſus, & acutus apparere poterit, ſed plerumque ſibi infælix videbitur, & dolebit, ac conqueretur, deficit enim caloris, & ſpirituum ſanguineorum copia, quæ ſpem, atque confidentiam nobis inſinuant; quam promptè in adoleſcentibus ſecundum naturam diſpoſitis apparere ſpectamus. Deiectus igitur animo, & facile ærumnis, & infortunijs cædet; animi enim tenuis, ne dixerim vilis eſt homo hic, & quoniam talis, non ſemper bene audiet, nam quamuis aperte non ſit paratus ad nocendum, verbis tamen & modo procedendi, alios ad illi damnum, & impedimentum inferendum irritabit; In venerem promptiſſimus, & continua titillatione ſollicitabitur, hæc enim humoris ſalſi, cum ad partes genitales reſedent, proprium eſt; & hac de cauſa melancholici omnes, vt qui multo etiam flatu abundant, ſalaces, & venerei ſunt, infecundus tamen erit, aut ſi generabit, fœminæ naſcentur; ſi quidem ſeminis optimi ratio in calido, & humido poſita eſt, in quibus etiam reſidet vita, non autem in præter naturali, & aduſto humore, qui morti quam vitæ propinquior eſt, quo fit etiam, vt qui talem nacti ſunt temperiem breuioris quoque

ſint præceteris vitæ, infœcundus igitur erit quam vis venereus, & laſciuus, & quoniam ſalſo, & ſicco humore præditus etiam erit inſomnis, & naturaliter pauco, et leui ſomno delectabitur; Et ſi verum eſt, quod ſimile ſimili gaudeat, ſaxoſis montaniſque delectabitur locis, quamuis in aere craſſo, et humidiore, qualis eſt Ferrarieſis, aut etiam Venetus rationabiliter melius ſe ſe habeat; At quoniam hunc querulum diximus; paratus eadem de cauſa erit ad irridendum, et obiurgandum alios; et raro fiet ab alijs, quod ipſi placeat, impudens, et perfrictæ frontis homo, niſi timore impediatur, dicet quæcumque in mentem venient, neque aliorum rationem habebit, quod frons ipſa docebit, ac facies, nam in illa ſub pallida, et ſubcinericia pelle quidem ſplendor apparens, qualem aliquando in candidis Fauentinis lancibus ſpectare ſolemus, hoc indicat, ſibi plerumque contradicet, et præcipue in his, quæ ad lucrum, et actiones ſpectant, neque curabit, aut erubeſcet ſi conuincatur, ſed ridebit, impudens enim eſt, idque ideo contingere videtur, quando ex contrarijs aqua, et igne compoſitus eſt; Quod ſi aliquos huius temperamenti modeſtiſſimos, et vere probos, et verecundos reperiri dixeris; Non repugno, ſed illos tanto magis ſuſpiciendos, et venerandos iudico, qui malas inclinationes vicerunt, merentque iure coronari, quoniam legitime certarunt; At ratio, educatio, et conſuetudo, dieſque longa docet homini parere leones, et prudentia monſtrat.

Summos poſſe viros, & magna exempla daturos,
Veruecum in patria, craſſoque ſub aere naſci.

Hominis enim temperies non eſt chalybis, ſed poteſt in varias, & contrarias diſtorqueri affectiones, varios habitus, variaſque induere formas. Quia & hoc ipſum, hominis forma, & eſſentia docet, cum ſit pura quædam potentia, & apta fieri omnia; Amplius neque diuerſa eſt ab hoc materia, quæ caro eſt; nam hæc mollis, eſt, quoque mollior, eò & homo ad intelligendum, & cognoſcendum dicitur aptior; non enim nos neceſſitatem in hominis anima, ſed inclinationem magis ad hunc quam ad oppoſitum habitum miniſtrari a tali temperamento aſſerimus Vt pluma naturalem quidem habet inclinationem ad eſſe deorſum, nihil vetat tamen, quin leui aura, facilique momento, & ſurſum, & ad mundi latera peruehatur; At id non tollit, quod in pluma non ſint ſemina, & principia quidem grauitatis; & in homine certo temperamento prædito, non ſint diſpoſitiones, & inclinatio-

nationes potius ad hunc, quam ad oppoſitum morem, & habitum; ſed hæc iam ſæpius de cantata fuere; Cæterum vir hic, qui talem nactus eſt temperiem, præter diſtillationes, & catarrhos, plerumque pruritu, ac ſicca & tenui pſora laborauit; multo abundabit furfure; & cum ſudabit ſalſum quemdam emittet humorem; pruritum excitantem; Vrina lucens, ſubcrocea, ſubtilis, aliquando paruulis abundans bullis id ipſum indicat, & præterea obſtructionem plerumque in venis inteſtiniſque exiſtere, quæ vt plurimum paruæ, & ſtrictæ ſunt, & ſtomachus, cuius ratio propriæ operationis, in calido, & humido eſt, plerumque non bene concoquet; Nam ſi bona fieret coctio pituita non generaretur, & ſi latæ forent Meſenterij venæ, neque humor exureretur, neque æſtuaret hepar, quare neque ſalſa foret pituita, neq; illi miſceretur bilis flaua, conſenſus enim vnus eſt, & conſpiratio vna, & omnia ſe mutuo ſectantur, quæ ſunt ex eadem cognatione, & hunc, quoniam diximus querulum, ideo etiam murmuratorem dicemus, latentem tamen, puſilli enim animi hominem aſſeruimus; Et propter ſalſedinem, & bilioſam qualitatem admixtam pituitæ, idem rabioſulus, reclamator, recuſatorque erit eorum quæcunque offeruntur; & eorum etiam quæ deſiderabat, niſi ſubito dentur; ſubtilis enim pituita ſalſedine, & bile mixta, quæ facile ſuſcepit, facile etiam reſpuit, Mirabile quomodo idem ad moras paratus ſit, & ad celeritatem; moratur illum pituitæ frigus, ſalſedo eundem irritat, tales igitur, & his congeneæ ſunt huius temperamenti inclinationes.

De Temperamento in quo pituita craſſa, & coriacea prævalet à ſicco paſſa. Cap. XXV.

Pituitam ſiccam vocant Medici iidemque optimi Philoſophi eam, in qua partes ſubtiles deficiunt; quod accidit dupliciter, aut quoniam multus calor illas conſumpſit, & reſoluit, ſicuti accidit illi pituitæ, quæ cum fecibus aliquando exit, excocto naſi muco perſimilis, niſi quando, bilis colorem plerumque inducit ad nigrorem accedentem, forte ob exceſſum exuſtionis in illis partibus factæ.

Aut quoniam frigus excedens partes ſubtiliores expreſſit & craſſiores congregauit; priorem coriaceam, & exuſtam dixere, poſteriorem vitream, & gelu concretam vocauere, vtraq; mala; vtraque homines ad vitam, & vitæ muneribus facit ineptos,

pejo-

peiorem tamen, puto, vitream; ratione cauſæ tantum, calor enim minus à vita, vitalibuſque principijs, quam frigus diſtat. Harum ex vtriuſque temperamento quæ oriuntur corpora parua ſunt, macra, pallida, turpia, colore buxeo inſignita, tactu frigida, motu ſegnia, ocij, & quietis amantia, vigiliarum, & laborum inimiciſſima, capita horum craſſiuſcula, male tornata apparent, neque viſu formoſa, ſed quaſi rudia, & indigeſta, quare & cerebrum quod in his habitat capitibus ad ſiccitatem declinans ſenſus quidem externos acres miniſtrabit, ſed qui non diu durent; Interni autem propter frigiditatem, & craſſitiem, quare & ſpirituum defectum imbecilles erunt, & ad actiones, atque contemplationes æque inepti, quapropter & capilli capitis craſſiuſculi, rari, & plani erunt, & ſubflauum cum pallore colorem referent; quæ enim ſiccantur albeſcunt; cum totum fuerit expunctum humidum, at quando nondum totum exceſſit, quod exſiccatur nigreſcit, quare prædictum induit colorem quęcunque ſubuiridia ligna accendi, & inflammari contingunt; manus, pedeſque parui, corpus etiam paruum, os et oculi parui, mortificati, vt dicunt, ſplendore, et humiditate priuati, rigidi, penè immobiles; ſtrictum pectus, oſſeum; caro, laxa, mucida, aſpera, furfure plena, tota penè cutis glabra pilis carens fere per omnes partes, motus debilis in æqualis indecens incuruum corpus; male ſanum, et in virente ætate, ſenectæ mores, et ſtudia oſtendens, animus, et ad actiones, et ad contemplationes ineptus, quod ſi rei vlli applicabitur, potius in Mathematicis, quam in naturalibus proficiet; tales autem videmus eſſe Arithmeticos; homines difficiles, à ſocietate auerſos, ſolitarios. Primum autem fortitudinis, et bellicæ, et ciuilis artis putandum eſt illos eſſe expertes, ſi quidem timidi ſunt, quoniam et frigidi, non enim ſpiritibus abundat, quos in calore, et humore diximus eſſe poſitos, et cum timidi, et inſulſi ſint, potius illos dixeris inſenſatos, quam intemperantes, neque enim venereis mouentur valde, et quas amabunt, tentare non audent. Galeno placuit hos longe plus appetere cibi, quam poſſint concoquere, et quamuis plura appetant, et voraces videantur, cito tamen replentur, et pituita ſenſum retundit; Vinum non valdè amant, neque ebrioſi ſunt, quoniam neque ſiticuloſi, pituitoſi enim ſunt, et catarrho abundante, cuius deſcenſus, et præſentia ſitim extinguit; Auari, et cumini ſectores dicuntur, non quod aliena rapiant, velint, aut quærant, ſed quod ſua

nullis

nullis dare velint, etiam filijs, etiam ſibi ipſis duri, et auari, qui ab alijs non petant, ne alijs dare cogantur, deſperabundi, nemini confidentes, neminem amantes, ſicci enim ſunt, & ab alijs libenter diſcedunt, ſeque ipſos ſequeſtrant; Animi puſilli, qui propter animi ſui imbecillitatem, decorum in re nulla ſeruare ſciant; abiecti, viles, humiles, plus iuſto ſuperſtitioſi, qui ſibi plurima etiam impoſſibilia perſuadeant, & quæ ſemel perſuaſerunt ſibi, vix vlla ratione deponere poſſunt, propter hanc etiam cauſam queruntur ſemper, nihilque ipſis ex voto ſuccedere poſſe credunt; Moroſi, non tamen iracundi, neque qui facile iniurijs, aut honoribus, laudibus, aut ignominijs moueantur, non enim valde ſunt verecundi, frigidi enim, & ignobilis animi, & cum amicis morem gerunt (aliquando enim id agunt) timore quodam potius quam amore mouentur, ſunt enim ſicci, quare ab alijs ſeiuncti, & proprio quodamodo termino contenti, qua eadem ſiccitatis ratione parum humani, & benigni, & amicis commodi exiſtunt, & nemini dulcem oſtendunt animum, quod etiam ſi velint, neſciant, vtpote qui ſolitudine delectentur, & ruſticitatem nomine modeſtiæ cooperiant; viles, & acerbos, & ſubfrigidos omnes diximus eſſe timidos, quare & in horum genere hos eoſdem repones, eoſdemque inconcinnos, & aſperos, ac decoris, & amicitiæ rudes vocaueris; Quid autem iuſtitiæ naturalis in illis eſſe poſſit, qui vili, ac deiecto ſunt animo non video, iuſtitia enim eſt ad alios virtus, hi nihil de alienis commodis ſolliciti ſunt, aut incommodis, quare neque iuſti eſſe dicentur; Verum neque etiam iniuſti, nam timore, & torpore, deſidia, & ignauia retinentur, ne iniuſte agant; cum maxime ſibi timeant, cum alijs autem nullum iniuſtitiæ genus renuent, aut reſpuent, ſi quidem quæ alijs magna, illis non magna iudicantur ſcelera, quoniam craſſo, ac pingui iudicio, & intellectu præditi, non bene diſcernunt, quid diſtent æra lupinis; Et cum ingratis, vt dicitur, nati ſint muſis, imprudentes ſunt, neque prouidere valent, quid fit è re ſua, aut aliorum, attamen quamuis tales ſint, captatores ſunt rerum nouarum, & narrantium pendet ore, vtpote qui rudes cum ſint, vani, & futiles exiſtunt, placet autem illis, ſibique plaudunt, ſi quid ſine labore diſcere, ſe putant, patientes quidem, at non laborum, quos fugiunt, ſed contumeliarum, & irriſionum erunt, viles enim, & abiecti, qua ratione etiam verecundi, & modeſti videbuntur, cum harum qualitatum nullatenus, altera illis in exiſtat; neſ-

continentia, aut clementia vlla, niſi quæ ex eodem metus fonte naſcitur, timentes enim præſui vilitate, ne homines contra ſe ipſos irritent, continentiam in concupiſcendis, patientiam; in offenſionibus, & iniurijs, & clementiam in ijſdem remittendis, & delendis ſimulant, cum tamen odio, & inuidia quadam ſupina interius laborent; Et quamuis, ex ſemet ſolis propter ſuam ruditatem, & inertiam alijs non detrahant, ſi tamen cum detractoribus conuenerint, illis in detrahendo, & maledicendo adhærent; At cum, vt in principio, duæ ſint huius temperamenti ſpecies, & vtraque illaudabilis; Quo ad vitam propagandam deterior eſt ea, in qua craſſa, & ſicca præualet pituita, ob frigus, quam quæ ob calorem, magis enim à vitæ ratione abeſt; Huius proprium eſt, vt ait Montag. homines reddere quaſi torpidos, inſenſatos, & rudes, ſomniculoſos, ſocordes, deſides, ab omni arte, ingenio, ſcientia, prudentiaque longe remotos; Quemdamque ait adoleſcentem ſe vidiſſe, qui torpidus cum tandem occubuiſſet; eo ſecto, apparuit gelu, quaſi rigens corallium in venis cõcretus ſanguis, colorem quemdam aqueum referens; At quorum temperies ex pituita craſſa, & aduſta per calorem facta eſt; quamuis ſint homines immundi, vitioſi, turpes, aliquando tamen, præſertim dum pituita exuritur, quamuis lente moueantur, aliquid ſatagunt; & rerum curam aliquam gerunt; & poſt extinctionem concepti caloris ijdem remanent; Aſt de his in quorum ſanguine illa apparet coriacea pituita, quę furfurem multum in cute, torporem, & pigritiam in membris excitat; irreſolutionem timorem, oſcitationem in anima; aut irrationalem, & improuidam deliberationem; hæc & alia ſimilia accidentia, per analogiam, & ſyllogiſmum dici, & deduci poſſunt cognita ratione temperamenti.

De Temperamento quod proprie melancholicum vocant, & præternaturale. Cap. XXVI.

AQuam, præternaturalem melancholiam vocat Hippoc. & horum ſanguinem aquoſum eſſe experientia docet; attamen hoc præditos temperamento ſiccos, macros, videmus, & melancholia hæc ſiccus dicitur humor, refert enim terram, & horum operationes terram repræſentant quomodo igitur idem aquæ, & terræ effectus erit? & idem humidum, & ſiccum dicetur?

An

An reſpondendum, quod duplex humidum, nempè excrementitium, & vitale, abundant aqueo, & humido excrementitio; At aereum, & pingue, & vitale, quod natum eſt alere calorem naturalem, & illum augere, deficit; Hic vires debiles, caro laxa, calor paruus, ſed mordax, macredo, & diuturni laboris, obuirium defectum impatientia; Bene autem, & acurate, ac rationabiliter mihi locutus videtur, qui melancholiam terræ ſimilem dixit, non illi, quæ vna eſt ex quatuor ſimplicibus corporibus, ſed huic, quæ ſenſibilis eſt, quæque compoſitorum omnium locus eſt, & ſedes; Diuerſiſſimæ ſunt terrarum ſpecies, alba alia, quędam nigra, argilloſa, alia arenoſa, ſaxoſa, ſterilis, rubra, ferruginea, aquoſa, ſicca, cinericia, lutoſa, & mille alijs diſtincta accidentibus, ſic etiam diuerſiſſimæ ſunt melancholiæ ſpecies; Hic in nobis humor exiſtens ſecundum naturam, baſis eſt, ac fundamentum cæterorum omnium; referens in harmonijs hypate hypaton chordarum, quæ ſi mouetur, tota mouetur, & alteratur harmonia, & variatur concentus, aut tollitur penitus; Cum igitur contigerit, naturalem humorem quem atrum vocant, fęcem ſanguinis de ſuo natulali ſtatu labi, & ſicciorem fieri, quam prius eſſet, tunc ſtatuitur ex ipſius in venis ſuprabundantia temperies, de qua nunc inſtituitur ſermo, cuius hæc videtur eſſe generatio cum præternaturalis, & multus calor ſanguineam maſſam occupauerit, aut à naturæ primordio, aut ex accidenti, pars melancholiæ ſubtilior quæ proportione reſpondet humido, quod exiſtens in ligno partes eiuſdem continuat; conſumitur, remanent igitur partes ipſius craſſiores aſſatæ, quæ penitus terreæ ſunt ſimiles illis reliquijs, quæ poſt exuſtum remanent lignum, quæ cinerem ſtatuunt, corpus album, ſalſum, ſiccum ſecundum ſe contiguum, non autem continguum, humor hic igitur cum non habeat aliquid in ſe vnctuoſi, & aerei, quod ſcilicet aduſtione perdidit, aquam (vt dixi) refert, hinc fit vt aquoſi, & icoroſi, vt dicunt, ſint melancholicorum cruores, & nihil fibrarum in ſe habeant quoniam humor partes ſimul fibrarum iungens comſumptus eſt; remanſitq; ſola pars, ſubtilis, ſiccißimum referens, qui per aerem volitat, puluerem æſtiuis temporibus.

Sed dubitationes circa hæc non paruæ reſtant; Harum vna eſt ſanguinis melancholicorum aduritur, & quod vritur a calore patitur, paſſa à calore fiunt ſicca, & calida, ergo ſanguis melancholicorum erit calidus, & ſiccus; calidum, & ſiccum non re-

præſentatur ab aqua, neque aqua vocari poteſt, cuius ratio in frigido, & humido poſita eſt; Quomodo igitur melancholiam vocauit Hippocrate aquam? Rurſus melancholia proportione reſpondet terræ, terra eſt ſicca, aqua humida, non ergo bene Hippocrates melancholicum ſanguinem inuenis exiſtentem vocauit aquam. Vt hæc tolleretur dubitatio multa à Medicis dicta fuere, ego pro ſolutione pono, omne quod aduritur corrumpitur, deſinit enim eſſe, quod erat prius, item omne quod exuritur patitur ab igne mutante ſpeciem eius quod vritur, donec fiat aliud; Et rurſus cum in omni mixto aliud elementum præualeat ſecundum virtutem, aliud ſecundum molem, vt in homine, & alijs animalibus perfectis, & viuiparis præualet ignis ſecundum virtutem, calida enim ſunt, & digerunt, & alimentum concoquunt, quę actio eſt caloris; ſecundum virtutem igitur ſunt calida; At ſecundum molem viuentia omnia ſunt terrea, ſicca enim ſunt, & proprio termino terminantur, quæ propria paſſio eſt terræ, hæc enim eſt primum ſiccorum, & propter quam, quæ ſunt apud nos mixta, proprio termino terminantur.

In hoc autem vltimum quod dominatur, reſolui ſolent tandem quæcumque mixta corrumpuntur; Ait enim Ariſtoteles quæ mixta putreſcunt, tandem in fimum, & puluerem verti, at puluis terra eſt, quę dominatur ſecundum molem in animalibus, & plantis. Item in humore, quem aquam vitæ, vel vitis vocant, ſecundum molem præualet aqua; Hæc ſi deſinat, aut corrumpatur, & ſeneſcat, mutatur in aquam, etiam humorem, quem appellant phlegma, & cum in nubibus præualeat aer, ſi contingat nubem reſolui, in aerem conuertetur; Eodem modo, ſi flamma extinguatur in fumum reſoluetur. His poſitis dico ſanguinem morboſum in venis hominis melancholici exiſtentem eſſe aquam, & merito ſic ab Hippocrate vocari quoniam frigidus eſt humor, & ſecundum ſenſum humidus, primum autem frigidorum, & humidorum eſt aqua; Nam cum humanus ſanguis ſani, & ſecundum naturam diſpoſiti ſit quoddam mixtum, in quo pręualet humidum, & calidum; habet partes craſſiores, & ſolidiores, quas vocant fibras, ſecundum quas, cum extra venas fuſus eſt ſubito coagulatur, nimirum euaporante calido aereo; quo diſgregabatur, & liqueſcebat; Si corrumpitur neceſſario in oppoſitum tranſit, & ex humido, & calido fiet frigidus, & ſiccus, & rationabiliter, quoniam in melancholicis

accen-

accenditur ſanguis; aſſaturque à calore paſſus, & exuſtus neceſſario fit ſiccus, omnia enim exuſta, ſicca ſunt.

Contra ergo melancholicorum ſanguis frigidus erit, & ſiccus, ergo terra, non autem aqua dicendus eſt.

Forte reſpondere poſſemus, calorem præter naturalem à quo ſanguis in venis exuritur, primum partes oleoſas, & aereas in ſanguine exiſtentes reſoluere, quibus partes fibroſæ iungebantur ad mixtum tale quid ſtatuendum; ipſas autem fibroſas partes dum exurit, conuertit in quemdam craſſum humorem proportione reſpondentem cineri. Id autem patebit quando fiat, & aqua ſanguis melancholicus, & quando partes vrantur, ſi quis contemplabitur, quomodo lac a calore ignis patiatur. Lac ad ignem ſi diu ſteterit, diuiditur pars caſeoſa, & craſſior deſcendit, coagulatur, & tandem exuritur, at butiroſa in aerem, & vaporem abit, quod reſtat ſerum eſt & aqua pura, & quod de lacte, illud idem de ſanguine, quem colorem mammarum adenes illis conciliarunt; exuſto lacte remanet ſerum; aſſato ſanguine reſtat icor, quem Hippocrates vocat aquam, ergo eſt liquor hic in venis melancholici ſecundum molem frigidus, & humidus, & ſic præualet aqua, cuius inditium eſt quod extractus, in vaſe non coit, quoniam caret fibris, at ſecundum has ipſas partes quæ iam aſſatæ, & incineratæ vocantur, frigidus eſt, & ſiccus. Non tamen putandum eſt, eſſe aquam puram, ſed compoſitum eſt, vt aqua maris, & partes craſſiores ſunt ceu lac exuſtum, aut quod remanet ſedimentum aquæ marinæ. Ex principijs igitur ſupra ſuppoſitis de ſanguine pręter naturali melancholico, hæc poſſunt rationabiliter pronunciari, icoroſum ſanguinem, dum aduritur deſinere eſſe, quod prius erat. Non nutrit igitur, melancholici ergo macri ſunt, non tamen putandum eſt hunc ſanguinem omnino eſſe corruptum, ſic enim non viueret homo, et ſalſus eſt icor iſte, quoniam exuſtus, vt de aqua marina diximus, quoniam paſſus eſt ab excellenti calore; omne enim humidum in quo paſſum ſit ſiccum, ſi vehementi à calore patiatur, ſalſum ſit, vt cap. de ſapore in lib. de ſenſu, et ſenſili dictum fuit, quo fit vt melancholici, et libidinoſi ſint, et plerumque infeſtentur pruritu, et ſcabie quadam ſicca.

Diximus, in mixto conſiderari molem, et virtutem, moles in ſanguine naturali ſane dominatur aquæ, at ſecundum virtutem aereus eſt, nam eſt humidus, et calidus. Cum aſſatur in oppoſi-

poſitum tranſit, ergo fit frigidus, et humiditas oleoſa, et ſubſtantialis, & viuifica tranſit in ſiccitatem terream puluerulentam, & pene lethalem, quare quorum venæ hoc ſanguine refertæ ſunt, apparent triſtes, timidi, deſperabundi. Et quoniam diximus, omne mixtum tandem reſolui, & deſinere in illud quod mole dominabatur; cum aqua in bene affecto ſanguine ſecundum molem dominetur, operæ pretium eſt, cum corrumpitur in aquam tranſire, & non in aliud quidquam; & hoc eſt quod in quarto Meteor. dicebatur corruptionem, & putredinem fieri cum paſſiua præualent actiuis. Quod ergo non irrationabiliter Hippocrates aquam dixerit ſanguinem melancholicum præter naturam, ex his puto ſatis eſſe manifeſtum. Et ad argumenta in contrarium adducta non eſt difficile reſpondere; Nam cum dicitur, quod vritur fit calidum, patitur enim à calore. Melancholicus ſanguis vritur, ergo calidus. Reſponſum eſt dum exuritur ca idus eſt, exuſtus non eſt calidus, dum carbo vritur pruna eſt, lucet, & ardet, extinctus niger eſt, & frigidus, ſi comparetur cum pruna; Item cum dicitur proportione reſpondere terræ melancholiam, non autem aquæ quare ſiccum eſſe talem ſanguinem. Reſponſum ſecundum molem eſt aqua, at ſecundum virtutem, ſiccitatem terræ nobis repreſentat; ſanguis enim probus in oppoſitam naturam mutatus eſt, ſic etiam muria, & aqua marina ſecundum molem eſt aqua, at ſecundum virtutem eſt terra, ſiccat enim, & ideo à putredine ſeruantur quæ muria condita ſunt, ſiue fructus, ſiue piſces exiſtant.

Fieri ex aduſtione ſanguinem hunc icoroſum diximus, at omne quod fit, ex aliquo fieri, & ab aliquo certum eſt; Hunc icorem, & melancholicum ſanguinem putant fieri poſſe ex quocunque humore in venis corporis noſtri exiſtente; qui natus ſit à calore exuri, vt corrumpatur: Quæ ſint hæc dicta, et an omnes humores exurantur, aut quidam tantum, prætermittamus, nobiſque ſit ſatis nunc præter naturale temperamentum melancholicum contemplari, quas inclinationes in homine generet; At à quo fit? profecto ab eo, quod natum eſt vrere, et ſiccare, ſublato humore viuifico, et ſubſtantiali. Hic calor eſt, non naturalis, et aereus, ſed ad igneam naturam accedens, et naturalem humorem, innati calidi alimentum, conſumens; Quæcunque autem ad hac igneam diſpoſitionem apta ſunt calorem noſtrum inducere, exuſtionis huius cauſæ dicentur, Quarum aliæ ab anima incipientes in corpus deſinunt, vt curæ, et

graues ſollicitudines, et ærumnæ, quæ quoniam calorem circa cor et ſanguinem ſubtiliorem congregant, creſcit calor, et congregatum ſanguinem eodem modo afficit, quo affici videmus lac ad ignem poſitum, et diu excoctum; Nam pars craſſior aduſta petit fundam ollæ, tenuior in ſerum, et aquam abit; Aut à corpore incipit ſanguinis venoſi exuſtio, aut ab obſtructionibus, quæ in vaſis, et ductibus naturalibus corporis noſtri accidunt; quæ naturalis caloris prohibent euentationem; Aut quoniam membra principalia, quale hepar eſt, & cor caloris ignei plus quam oporteret participant, ſiue à primordio conſtitutionis noſtri corporis, ſiue id ex accidenti contigerit; Homo autem ad hanc diſpoſitionem qui corpus habet inclinatum, poteſt tres ſtatus ſubire; antequam vratur ſanguis melancholicus, dum vritur & poſtquam exuſtus & incineratus eſt; quibus temporibus adeo homo fit a ſe ipſo diuerſus, vt vix agnoſcere ſemet ipſum valeat, & ſicuti terra, frigidiſſima hyeme, eadem tamen æſtiuo tempore longe calidiſſima eſt; ita hæc humoris ſpecies maxime à ſemet ipſa differt, & cum calorem perceperit, & poſt eiuſdem exuſtionem, quas igitur inclinationes tum ſecundum corpus, tum ſecundum animam hoc ſequatur temperamentum, aggrediamur. Quamuis (vt arbitror) non tot obſident variæ monſtrorum facies orci limn, quot variæ, ac diuerſæ ſunt inclinationes, atque affectiones huius temperamenti, quare dignus venia fuero, ſi non omnes perſequar, ſed tantum ſumma tangam faſtigia; Cuius igitur extiterit temperamentum in melancholia præternaturali peccans, quæ plurimum, paſſa fuerit à ſicco calore; ſi id in primordijs naturæ contingerit, hic capillo nigro erit, plano, craſſiuſculo, fronte plerumque magna, lata quæ rugoſa, aliquando quibuſdam prominentijs oſſeis inæqualibus prædita, oculi concaui, plerumque lucentes, ſupercilia, dura, rara, nigra aliquando etiam coniuncta, naſus magnus, longus, macer, ſtrictus albus, genæ pallidæ, ne dicam luridæ; oſſeæ, carne priuatæ; tempora concaua, macra, pallida; labia mollia, ſubtilia, os magnum, dentes, ſubflaui, turpes, aliquando oblongi debiles; mentum oblongum, barba nigra; rara, dura; Collum macrum, mediocre humeri incuruati, & gibba terga, macrum oſſeumque pectus, & glabrum; venter parum prominens ab vmbilico ad pubem vſque linea piloſa diſtinctus, coxæ, & nates macræ, oſſeæ, aſperæ; oſſa magna potius quam parua, pedes, & manus potius paruæ quam magnæ, digiti longiuſculi, &

ma-

magni, ac ſatis firmi vngues: Vox plerumque rauca, in æqualis, male ſonans; aliquando celeriter, alias tarde explicans animi ſenſum, inceſſus pariter in æqualis, oculi in terram fere ſemper fixi, a riſu iocisque alienus animo, ſi vero aliquando ridere, et iocari cæperit; deſiſtet nunquam, frigidi, et calidi ambientis æquæ impatiens, aliquando, ſpe plenus, omnia eaque ingentia ſibi promittens, aliquando autem deſperatione, et timore ita oppreſſus, vt vix viuere ſe poſſe putet. Sanitatis verò eſt, qui tale ſortitus eſt temperamentum, valde in æqualis, vix enim vnquam valde laborat, et vix febribus occupatur, attamen corpore neutro præditus, flatibus, acidis ructibus, indigeſtionibus laborabit, nactus frigidum ſtomachum, et hepar calidum, nactus deinde venas ſtrictiores, et præcipue quæ ſunt circa Hipocondria, vnde rugitus, et flatus plerunque ſentiet. Hæc autem omnia illi rationabiliter contingunt: Temperamentum hoc enim eget calore humido, quare digeſtio in ſtomacho non perficitur, generatur igitur inconcoctus humor, & crudus venas meſaraicas implens, non attrahitur enim quoniam inconcoctus, permanet igitur, quare obſtruit, tolitur euentatio, ergo augetur calor, & intenſior factus, ad igneam naturam accedit, hepar igitur inflammatur, à quo reliquum etiam humoris ſtomachi abſumitur, ſic frigidus, & ſiccius efficitur inſtrumentum coctionis, & ſic creſcunt obſtructiones, vnde flatus, & intercepti vapores rugitum faciunt, & dum aduruntur, caput, & cor petentes male afficiunt hominem: Inde à capite multa pituita, eaque ſalſa, & tenuis quam calor hepatis exuſſit, & per vniuerſarum venarum ambitum deſcendens eadem producit illum icorem, & aqueum ſanguinem fibris carentem, de quo in principio loquebamur: Hinc ex tali ſanguine, hæc, quam diximus ſequitur rationabiliter corporis conſtitutio. Quæ autem prima animi diſpoſitio ſe ſe offert, adamantina quædam obſtinatio eſt, terreæ ſiquidem ſiccitatis opus eſt, hoc refert enim vir tali præditus temperamento, quoddam terræ genus ſubflauum, & pallens, quod ſi aqua irrigatur, calceis hæret, & vix abduci poteſt ab ijs, quibus hęſerit inſtrumentis, ſi autem exſiccatum ſit, nihil penitus admittit, nulli rei adhæret, ſed ferro durius, & chalybe externa reſpuit impreſſiones; item præditus hoc temperamento delinitus bonis, & amantibus vocibus, bonaque ſpe repletus, difficile diuellitur ab eo, à quo perſuaſus eſt, at ſi diuelli contigerit, neque vlli alij, neque eidem rurſus facile iungetur, incredulus

dulus enim eſt, quoniam pertinax, talis autem quoniam durus, & durus quoniam ſiccus; quare, & ſicci ſpiritus, & eadem de cauſa plerumque ab alijs auerſus, non enim cum alijs facile conſentit, tum quoniam durus eſt, & pertinax, tum quoniam non facile credit, ac ſemper aut decipi, aut deludi timet, talem autem dicunt fuiſſe ex recentioribus quemdam principem, qui cum optime diſſeruiſſet, ac de rebus, quid agendum eſſet, prudentiſſime conſuluiſſet, aliorumque ſententias audiſſet, & cum alijs optimam elegiſſet, deinde cum opus erat factu, quæ fuerant conſultata, optimis dimiſſis, peſſimam eligebat, & ſequebatur ſententiam, quæ res pene illi exitium attulit: Naturalter breuiloquus eſt, & taciturnus, at ſi in ſermones inciderit humorque incaluerit, aut affectu, aut vino, aut aliqua alia de cauſa, fit omnium verboſiſſimus: Tunc autem contracto calore, fit criminator, irriſor, amarus iocator, & qualem, ait Plutarchus fuiſſe quendam Fauonium Catonis quidem æmulatorem in defectibus, ſi qui in illo erant viro, ſed nō virtutum repræſentatorem, vultu toruo enim, & pede nudo Catonem referebat, ſed non virtutem moreſque Catonis, canem igitur hunc vocare poſſes, & cani ſimilem, qui paratus ad latrandum os aperit, antequam diſcernat familiaris ne ſit, aut ignotus qui pulſat oſtium, ex hoc quod temperies hęc ad caninam quandam inclinat detractionem, & rabiem, vir huiuſmodi bene patroni fungetur officio, & rabularum forenſium minus probe exercebit, cum incaluerit humor, nulla enim habita aliorum hominum ratione, prompte falſa veris immiſcens, impudenter quæcunque in mentem veniunt effutiet præſertimque ſi faciem habebit vitream? hoc eſt albam, & ſplendentem.

Habet hęc temperies quoddam proprium eiuſque quaſi per ſe annexum prædicatum, quod alijs mala nunciare, & triſtes memorare caſus, illoſque etiam exagerare, & augeſcere lætatur, an cauſa eſt quoniam malignus eſt, nam alienis delectatur malis; Malignus autem ideo eſt, quoniam alios non amat, neque enim ſociabilis eſt: Timoni ſimilis; abhorret autem ab hominum ſocietate, quoniam ſiccus eſt, ſicci enim proprium eſt, alieno termino terminari non poſſe, ſed proprio contineri, durus itaque, & ſecundum ſe alijs odioſus, ſi quidem alios non amat; a miſericordia autem longe abſens, niſi in quantum timidus eſt, non igitur ratione aliorum, ſed cauſa propria, alterius tangitur ali-

quan-

quando malis, eadem de cauſa quoniam ſiccus eſt, & durus, & obſtinatus, neque amore, neque dolore, ad lachrimandum eſt facilis, quare ferus, & crudelis; ijs, quos odio habet nunquam ſincere conciliatur, & pauet, timidus enim eſt, omnis autem timidus crudelis, ſibi enim cauere quærit, ac ſemper metuit, ne noxa inferatur, alios forſan ſibi putans omnino ſimiles, & qua menſura menſurat alios, eadem ſe ab alijs menſurari credens; eadem etiam de cauſa indiſcretus eſt, aliorum nullam rationem habens, ceu foret aſinus, niſi quantum timor ſuadet; Inſomnis, quoniam ſiccus, & dubijs ſemper plenus, nunquam fere de rebus pro vt ſunt iudicans, ſed, vt de Hermogene dicebat Horatius, ſibi ſemper inæqualis, & ſecum diffidens ipſe, nunc magnis inhians nunc concha ſalis pura contentus, cuius inæqualitatis cauſa eſt diuerſa habitudo, quam ad cæteros habet hic humor, ſecundum quod magis, vel minus caleſcit; quod exemplo harmoniæ concentuſque clarum eſt, in quo, ſi vox grauis mutetur & ſubinde intendatur, & remittatur, neceſſe eſt totam harmoniam, etiam ſecundum ſpeciem mutari; durus, difficilis, obiurgator aliorum audaxs, ad arma promptus, nihil non ſibi arrogans, idem timidus abiectus humilis quæ ſane ſoluuntur, cum capiemus eundem humorem modo frigore naturali; modo calore accidentali occupatum: Nam vt de Hercule furente, de de Philoctete, ac multis legitur alijs, hoc humore abundantibus, cum incendebatur, omnia audebant, eodem autem extincto, ad ſe reuertentes actorum pigebat, ac pœnitebat; Quo factum eſt, vt ſi ament, aut oderint, in furias ruant, & non minus ac Dido, niſi ſuo potiantur amore, ſibi manus inferre cogitent; niſi ruina inimicorum odium ſaturent, viuere ſe non poſſe putant; Homo hic delator efficitur ocultus, & valde fraudulentus, iniquus, degener, detrectator, & vt in prouerbio malorum Ilias; plerumque autem, & ſalax, & libidinoſus erit, & omni inquinatus libidinis turpitudine, ſiquidem melancholicus ſalſo abundat humore, quo continuo irritantur partes genitales ad excretionem, at horum ſuorum vitiorum diſſimulator, & ſecum tacitus in pectore talia gerens, & Hippocrita verus; ſanctitatem, iuſtitiam, ſimplicitatem, quę nulla in ipſo eſt, præſe ferens, quod totum ab inſita, & innata orritur malignitate, cuius cauſam ſupra attulimus: Quare vt Horatij vir probus. *Iane pater clare, clare cum dixit Apollo.* Deinde labra furtim mouens, & metuens audiri intra ſe metipſum iterabit.

Pulchra Lauerna, ab fallere, da iuſtum ſanctumque videri:
Noctem peccatis, & fraudibus obijce nubem.

Tacitus igitur, & falſus ſimulator, & diſſimulator, alienorum cupidus, rerum ſuarum tenax, obſeruator, veterator, qui ſuadente timore, & innata malitia in varias ſe poſsit ſpecies, & vultus conuertere, ex his, furtis etiam erit aptus, & ſi ſpes latendo aderit, fur erit eximius, videmus namque animalia, quæ ſunt huius temperamenti, talia eſſe ſecundum naturam, vt malitia abundant, & timore, atque aſtutia ſimul, congenita enim ſunt; & eadem irritata, cum fugere nequeut, audacter mordent, & ſe tuentur, vt vulpes, montani mures, glires, & fainæ, & martures, quos vulgo appellant; Quod ſi iterum reliqua ratione, ac methodo horum eorundem hominum, qui hanc ſortiti ſunt temperiem, diſpoſitiones proſequi volemus, cum alijs, & cum ſe ipſis, oſtendere; Agite conſideremus, quomodo primum ſe ſe habeant ad Deum, & diuina deinde conuertamus ſermonem ad habitus, qui ſe metipſos, & potentias ſuas animæ reſpiciunt, tertio quomodo ſe habeant ad fortunas, & opes, quarto ad honores, quinto in commercijs hominum, in ſerijs, in luſibus, & iocis; vltimo in omni vita, tum actiua, tum contemplatiua, hoc eſt in artibus, & ſcientijs: Hos enim videbimus longe magis apparere diuerſos, quam illa vitra triangula ſoli, & lumini expoſita, quæ ſecundum quod parum vertuntur, aut conuertuntur, diuerſiſſimos oſtendunt colores, quorum tamen nullus illi reuera adeſt; aut pictorum tabulis iudicabimus ſimiles, in quibus multi quidem colores, ſed indiſcreti ſunt, nullamque certam imaginem referunt, ex his licet plurimæ formari poſſint.

Melancholici temperamenti præternaturalis repetitio.
Cap. XXVII.

HOc temperamentum eſſe late patens diximus; pauci enim ſunt in quibus virtus terræ non appareat, cum ſecundum molem omnino prædominetur; operationes, quæ ex hoc naſcuntur temperamento poſſunt conſiderari ſecundum diuerſitatem ſuarum cauſarum; Materialem, efficiuam, & formalem, finalem non ponam, finis enim rationem habet boni; bonum ſecundum naturam eſt, at hoc non eſt ſecundum naturam, & natura eſt forma, quæ medietas eſt: At hoc temperamentum

 ple-

plerumque à mediocritate diſcedens, vel in exceſſu peccat, vel in defectu, finem igitur habere non dicemus, neque huius cauſam finalem contemplabimur, forte autem bene erit cauſas proſequi, & primo ad materialem accedentes dicemus.

Materia dupliciter capi poteſt, vna ex qua temperamentum conſtitutum eſt ſecundum prædominium, altera eſt circa quam verſantur operationes, quæ ſecundum hoc temperamentum ſunt. Cui igitur accidet hanc humoris ſpeciem prædominari, quæ à Medicis teſte Galeno 2. de naturalibus facultatibus vocatur atra bilis, & cum peruertit ſalſedinem quandam ſuſcipit, & refrigerata, ab Hippocrate vocatur aqua; ſi a calore putreſcente plus iuſto exuritur, iam calida, & ſicca effecta, terribiles parit paſſiones, quare vel ſecundum exceſſum dicitur caloris, à naturali ſtatu deflexiſſe hunc humorem, vel ſecundum defectum. Hinc non ſolum in diuerſis eiuſdem temperamenti viris, ſed in eodem variæ, ac toto genere diuerſæ, & contrariæ apparent paſſiones, & ſibi ipſis deſonantes; Hoc autem ſpeculantibus ex diuerſis materijs circa quas verſari contingit clare erit manifeſtum. Primum itaque circa Deum, & diuina dupliciter peccare ſolent, aut enim ſuperſtitioſi ſunt, & creduli, quoniam timidi ſunt, ſi quidem frigidi, quare & bardi, frigido enim craſſo, & lento humore abundant; taleque eſt genus meridionalium virorum ſuperſtitionibus, & incantationibus, & obſeruationibus vanis obnoxij, nam ſunt creduli, & quam ſuſceperint opinionem diu retinent; At quando eſt calefactus humor, ſe pluſquam alij ſcire putant, hæreticique fiunt obſtinati, rebelles obcæcati rationem non audientes, eiuſdemque penitus incapaces, & quamuis neque reſpondeant, neque reſpondere ſciant, perſiſtunt tamen, & frangi potius quam flecti poteſt eorum cor, & voluntas, duri enim ſunt obſtinati, ijdem ſi quando vehementer exarſerit humor, erunt impij, feri, & inſipientium eorum qui dixerunt Deum non eſſe nullumque adeo magnum malum eſt, quod illis paruum non videatur; Hæc itaque de Deo ſentiunt, vt quandoque humillimi ſint, & toti Deo diuiniſque addicti, quandoque impij, & Deum diuinaque contemnant, inter hos referuntur Hippocritæ triſtes, & qui ſub ſanctitatis ſpecie, viduas, & homines ſimplices fallunt; quos Dominus noſter falſos vocat Prophetas. Talem volunt fuiſſe Neronem, qui modo totus ſuperſtitionibus ſuis ſeruiebat, aliquandoque eaſdem imagines,

gines & idola ſpernebat, vt aliquando etiam nonnullas vrina conſperſerit, In proprijs affectibus, & appetitibus tales ſunt; Vt conſtantes, in ſola ſint inconſtantia, primus igitur vehementer timidi, quoniam frigidi, & diffidentes, & increduli plerumque, quoniam nimirum timidi, eademque de cauſa nonnunquam deſperati; ſi ergo putauerint ſe ab aliquibus odio haberi, ſuſpicione repleti nemini fidunt, ſolitarij ſunt, eo maximo odio proſequuntur, crudeles, cum nocere poſſunt, cum non poſſunt plus iuſto humiles, & abiecti, At ſi calorem conceperint humores illi atrabiliarij, iam Atreos, ac Tyeſtas expectare licebit, nullum enim adeo magnum eſt ſcelus, quod ipſis minimum non videatur, In venerem vetitam, & non vetitam æque proni, inſolentes, nihil non ſibi arrogantes; eas enim ſubeunt penè paſſiones, quas olim calido, & ſicco dicebamus conuenire; Neque ſolum voluptatibus venereis, ſed gulæ dediti, helluones maximi exiſtunt; Tunc etiam cum ſpiritus feruet prodigi, & & profuſi exiſtunt, at deficiente feruore dolent, atque dediſſe, aut profudiſſe nollent, ferèque ſapiunt; Naturaliter enim auari ſunt, neque hoc ſolum, ſed turpes, & ſordidi, & indigni qui inter viros probos numerentur, id autem illis accidit, quoniam præter ſe ipſos neminem diligunt, atque ex horum genere eſſe debebat ille decantatus Timo, qui cum tota vita ſua ſemel exiſſet in publicum forum, aſcendens pulpitum dixit alta voce, ſe domi habere ficum, à qua iam plures pependerint à ſemetipſis necati, ſi quis eſſet, qui ſe ſuſpendere vellet, accederet celeriter, antequam illam reſcinderet, vt facturus erat; & cum videretur, illum omnes odiſſe; Vni tamen Alcibiadi delicias faciebat: Quod ideo libenter agere ſe dicebat, quoniam Alcibiadem maximorum malorum putabat futurum cauſam; Athenienſeſque propter illum diu lachrimaturos, ac dolituros. Ab his igitur neque actiones magnificas, aut nobiles expectare oportet, neque putandum eſt in animas ſordidas viles, & abiectas intrare poſſe magnificentiam, munificentiam, atque liberalitatem, quarum ratio in calore humido poſita eſt, hos autem omnino diximus eſſe ſiccos, & aliquando frigidos; ſicci autem alios non amant, quia res niſi humido iunguntur, non amant ſicci, quod videmus in ſenibus, qui quoniam longe à calore humido, & aereo diſtant, illi etiam parum, aut nihil amant; quin & lucellum quantum vis paruum ſit, propriæ præponunt vitæ, cum itaque ſe ipſos non amant, rationabile eſt etiam alios non amare.

 Et

Et quoniam hos eſse præter naturam diſpoſitos dixi, & longe ab eſſe à mediocritate, quare, & à virtute, & à prudentia, ac recta ratione, eoſdem eſt videre abiectos, deſpectos honorem; atque infamiam æque non curantes, nihil penſi facientes, bene an male audiant; iidem rurſus, & præter rationem ambitioſi apparent, impatientes iurgiorum, ac contumeliarum, ſecundum quod peccans humor magis, vel minus inflammationem aliquando extra ſe ipſos, ac mentē ponuntur; Hominū ſocietates, ac cōmertia vitant, quare neq; ad exercendam mercaturam ſunt apti, neq; ad prouehendas, aut inuehendas merces, raro enim ſibi cum alijs conuenit: Quare nunquā cum alijs iocabuntur, numquā ridebunt, ac feſtiui erunt; At ſi cōtingat eos iocari incipere, qualis ille Tigellus cum canere cæpiſset, nunquam deſiſtunt; & tandem in iram, & amaritiē eorum vertetur iocus. At in ſerijs auſteri, duri impatientes, immites, & quos nolles vllo pacto tecum agere; & rixari, hos ſemper audies à negatione incipere, cum aliquis eos interrogat; & peruicaccia quadam (niſi timor eos impediat,) ſemper vti in praxi, & mutuis hominum congreſſibus; ſi vero incaluerint, audacter, & arroganter nimium cum alijs agitant, vt aliquando cogantur homines non ſolum illis male velle, ſed etiam male dicere, & peius facere. Aptiores erunt ad artes mechanicas, & ſolitarias, & in his poterunt aliquando proficere; mediocriter enim incaleſcit hic humor in artibus ſedentarijs, quare continuum, & æqualem emittit vaporem, & ideo artibus, & ſcientijs operām dare poterunt, in actiuis non proficiunt. Qui vero litteratiſſimi fuerunt, & peſſimorum vitiorum homines, probabile eſt tali fuiſse temperamento præditos.

Ex quibus igitur conſiſtat hæc temperies, & quare anima hoc vtens temperamento, & quomodo operetur, & tales inducat diſpoſitiones patere poteſt; cauſas igitur materiales, has dicimus talium diſpoſitionum. Certiſſimum eſt vnam, & eandem cauſam diuerſo, oppoſito modo diſpoſitam oppoſitos facere effectus: Humor hic ſuper abundans vna eſt cauſa; Huic accidit, & calor & frigus, quæ illum diuerſo modo afficiunt, quare diuerſi, & oppoſiti exiſtunt effectus: Cauſæ autem vel ſunt internæ, vel externæ. Internas voco exuſtionem, ex oppilatione, incinerationem quam dicunt, refrigerationem, & congelationem humoris atrabiliarij, & ſecundum variam propotionem, quam cum alijs humoribus habet, maſsam ſanguineam, quæ in

venit

venis eſt, ſtatuentibus; externas cauſas appello, quæ ab extra procedunt; ſicuti quæ ſenſibus apparent, & adeſse præſentia iudicantur, ſiue ea ſint talia, qualia putantur, ſiue non ſint: quæ non ſine ſenſu eſse poſsunt, & in phantaſia, & in mente: accidit autem hęc externa, plerumque ab his longe aliter recipi, atque reuera exiſtant: quod fit, eo quod male, ac præter naturam diſpoſiti ſunt: omne autem receptum ſe habet per modum recipientis, quare ſi recipiens præter naturam diſpoſitum eſt, & id iudicatur præter naturā etiam propriam exiſtere. Has igitur forte poſsumus putare cauſas propter quas humoris atrabiliarij prædominium adeo diuerſos mores, aut vt verius loquar, varias cauſet diſpoſitiones, et facultates animæ, ſi non ſecundum ſubſtantiam attamen ſecundum qualitatem, et operationem adeo differentes faciat, vt non hominis, ſed bruti potius operatio ſit dicenda.

De cauſis, & varijs differentijs quæ hanc ſequuntur temperiem. Cap. XXVIII.

CAuſas formales, ſiue differentias huius temperamenti ſpecificas, enumerare difficile eſt; cum ſint poſitæ in diuerſa proportione quæ eſt, atque eſse poteſt inter hunc humorem vt principium paſsiuum, et calorem vt actiuum; qui calor et ipſe diuerſus eſt pro ratione diuerſa ſubiecti in quo primo exiſtit, ſiue ipſe ſecundum naturam, ſiue præter naturam exiſtat. Hic ſecundum ſe, vel in ſpiritibus, vel in bile flaua, vel in ſanguine eſt: et ab his huic humori communicatur, et ſecundum hanc rationem diuerſus fit; diuerſam autem cum ſuſceperit rationem, etiam et diuerſas in homine cauſat paſſions, et affectus; vniuerſalis itaque ac prima, & communiſsima ipſius ratio eſt, vt à mediocritate naturali recedat, vel verſus exceſsum, vel defectum: cum ſcilicet amplior eſt calor temperato, vel eodem remiſsior. Quas rationes, ac proportiones diuerſas ab excedente calore procedentes ſi contemplabimur; ſeſe offeret affectus, qui eſt vehemens animi motio incaleſcente hoc humore, ad id quod ſub ratione boni, aut mali apparet longe aliter atque communiter alijs hominibus accidere ſolet; Hinc fit vt gaudeant, doleant, timeant ſperent, et alijs paſsionibus moueantur, at quando, et quomodo, et vbi, et cur non deberent; ſimiliſque eſt horum mo-

ctus pilæ æneæ bombardarum; quæ in quodcumque feratur, magnam facit impreſſionem, ſua mole, & pondere id agens etiam ſi ab externa vi leuiter pulſa fuerit. in caleſcente enim hoc humore, non ſecus atque terra ab æſtiuo ſole, attolluntur vapores, ſiue exhalationes quædam ſiccæ, quæ aerem caliginoſum faciunt, & craſſum & plerumque res maiores procul ſpectantibus, quam re vera ſint, appareant.

Si calorem magis conceperit hic humor, & amplior, & ſiccior exhalatio attolletur, mentis acies exacte non diſpiciet, quid agendum, dicendum ve ſit, & tunc dicimus mentem motam eſſe, pro magnitudine affectus hominem bene apud ſe non eſſe; vt enim ab hac ſicca calligine exterius a ſole excitata prohibetur oculus, ne poſſit in longitudinem proſpicere, ita ab hac interna exhalatione impeditur animus ne poſſit proſpicere, neque perſpicere, quid ſit è re ſua; Mentis motionem delirium excipit, quod contingit cum amplior fit caliditas, mente mouetur Turnus apud Virgil. cum ipſi narratur ſe ſua dextra occidiſſe reginam Latini vxorem, vix proportis Meſſapum, & acrem Atinam ſuſtentare aciem, ait enim Virg. de hoc in lib. 12. Aeneid.

Obſtupuit varia confuſus imagine rerum.
Turnus, & obtutu tacito ſtetit, & æſtuat ingens.
Imò in corde pudor, mixtoque inſania luctu;
Et furijs agitatus amor, & conſcia virtus.
Vt primum diſcuſſæ vmbræ, & lux reddita menti,

Quam nempe tenebræ, & halitus eleuati ab exurente calore melancholiam, offuſcabant.

Affectum magnum, ac heroicum exprimit in eodem Turno irato contra Drancem, & illius dicta redarguente; Delirat item Dido in quarto dum ait.

,, *Non arma expedient, totaque ex vrbe ſequentur?*
,, *Diripientque rates alij? naualibus ite,*
,, *Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.*
,, *Subdit deinde; Quid loquor, aut vbi ſum?*
,, *Quæ mentem inſania verſat, Infœlix Dido?*

Nullum enim ex Galeno 5 de locis affectis delirium perpetuum eſt, præter id quod ab affectu ſepto tranſuerſo oritur definitur autem ab eodem in tertio de ſympatia, cauſis quod ſit deprauatus motus principis facultatis, quare & imaginatio, & per eam læſa etiam eſt ratio, deliriumque ait, non poſſe eſſe continuum, quoniam neque motus continuus, niſi forte ſit ex phreneſi læ-

ſoque

ſoque diaphragmate: At delirij cum plurimæ ſint ſpecies, nunc ſermo eſt de eo, quod ex accenſo atrabiliario humore oritur, eouſque perdurans, quouſque conſumptus ſit humor, & totus deferbuerit; quod ſi per eſſentiam affectiſque cerebri meningibus exiſterit; delirium quidem ſemper erit, at ſecundum magis, & minus differens, longe enim aliter delirabit, cum accenſus eſt, & vritur humor, & poſtquam iam eſt conſumptus. Hos autem, quorum per eſſentiam affectum fuerit cerebrum, & cerebri membranæ, puto, quidem in meliorem ſtatum reſtitui poſſe, at ſanari penitus non puto, quod experientia, & dictis præceptorum mihi innotuit; Ex amore atrabiliarius factus eſt nobilis quidam vir, ille delirare cepit, quin & furere, longis maximiſque remedijs reſtitutus eſt, deſipiebat aliquando, diutiſsime, ac obſtinatiſsime tacebat, aliquando garrulus, ac loquaciſsimus fiebat; tandem ſtolidus, effectus lenta febricula obijt: Delirabat Atys apud Catullum priuſquam ſibi teſtes abſcinderet, & cum abſcidiſſet furor gliſcebat, & ceſſante furore, & remiſsa aſsatione, ſubijt ſomnus, poſt quem ad ſe rediens, ſe euiratum cognouit, & indoluit, exceſsus igitur delirij furor eſt, furore correptus Phyloctetes, & Aiax, & Oreſtes cum *geminum ſolem, & duplices putaret, ſe cernere Thebas*; Dum autem hoc furore tenentur, non vultus, non color vnus manet, quoniam a vehementiſsima flamma dum vritur humor, vapores inordinati attolluntur, quo fit vt idem non maneat color, neque idem vultus, cum ergo hic vapor calidus, & ſiccus per neruos it, violentiſsimi fiunt motus, & maximam vim acquirunt, ſi per ventriculos cerebri penetrabit, mira dicere, ſed incondita, & præter rationem ſolent, & quæ ſunt in potentia, repoſita in phantaſia ad actum perducuntur: Tales Caſsandra, & Sibillæ, & cum penitus interiora perturbantur, eorum qui dixerint non recordantur, quando autem cum aliqua moderatione, motiones fiunt, vt illarum impreſsio quædam emaneat, quaſi ſomniorum, meminere dictorum, & factorum; Ex bile, dum aduritur furorem apprime expreſsit Seneca in Hercule furente: Enthuſiaſmus, minor eſt furore, & delirio minor, ſed vehemens, & heroicus, vt ſic loquar, exceſsus ipſius affectus; omnino cum incipit exuri atrabilis, eſt quædam mentis motio, ſed ordinatior, & diutius perdurans, quam illa de qua ſupra, vult autem Plutarcus quadruplicem eſse enthuſiaſmum, Veneris, Martis, Bacchi, & Apollinis, ſiue Muſarum; ego tot poſse eſse entuſiaſmi ſpecies quot ſunt

affe-

affectuum, & entuſiaſmum nihil puto, niſi exceſsum quendam vehementis affectus; enthuſiaſmus admirationis illum capit, qui obſtupuit, & cui *ſteterunt comæ, & vox faucibus hæſit*; enthuſiaſmo pauoris mouebatur Turnus xij Aene. & ſi quis dicatur amens formidine, ſemper enim exceſsus horum affectuum aptus eſt mouere mentem illam, quę afficitur ab eodem. Enthuſiaſmum proprie patiuntur melancholici, taliterque afficientur, cum ſubiectus ſuſceperit calorem humor quod illi accidit, cum propter obſtructiones difficile euentatur naturalis calor, & ſemper cum introcedit fit ſe ipſo maior. Bacchi enthuſiaſmum legemus apud Horatium dicentem.

Quo me Bacche rapis, &c. & afflata Apollinis Spiritu Sybilla, maior videbatur, nec mortale ſonabat, quod de Pythia etiam teſtabantur, quæ Spiritu de cauerna quadam exeunte repleta, canebat futura, quæ neque ipſa, neque alij, niſi poſt factum diuinare poterant; at de entuſiaſmo plurima dicta ſunt in lib. de diuin. perſomn. Enthuſiaſmum ſequitur eſtaſis quando aliquis extra ſe ipſum poſitus neque audit, neque videt, quæ ante ora, oculoſque ſunt, & alia longe diuerſa auditque, videtque; quam paſsionem memini, aliquando legiſse, cuidam accidiſse qui tanquam mortuus remanens, poſt longum tempus ad ſe redibat, & mira intuitum eſse, & audiſse garriebat. Videtur autem paſsio hæc poſt longam humoris atrabiliarij exuſtionem quando iam, vt aiunt, in cinerem conuerſus eſt, accidere.

At rurſus ſi defecerit calor, humorem hunc facere videbimus homines bardos, ſtolidos, pigros, debiles meticuloſos, ſocordes, ſordidos, corpore non minus quam animo, ſi creuerit frigus, fit ſtupor, & rerum omnium, admiratio inepta, & ruditas quædam in concinna, & grauis, maximè autem aſinis, & ſi quod aliud animal eſt, magis rude, et indocile fiunt ſimiles hi homines; Tandem ſi pluſquam oporteat valde frigeſcet, homo iam in quoddam lethargi genus incidet, vt quaſi torpidus exiſtens, vix moueri poſsit non ſe non alios cognoſcens. Hæc itaq; ea eſse videntur, quæ huius humoris ſicci, quem atram bilem vocant, in temperamentis prædominium ſequi naturaliter apparent, cuius, vt dixi, tot ſunt ſpecies quot terræ dicebat Ariſtoteles: Multo tamen plures erunt, ac longe diuerſa parient ſymptomata ſi miſcebuntur ſimul alij: Nam ille Argiuus, de quo mentionem facit, Horatius:

Qui ſe credebat miros audire Tragedos,

In

In vacuo latus plauſor, ſeſſorquè theatro.

Probabiliter atrabiliarius quidem erat, ſed cum ſubdominio ſanguinis, & pituitæ, quare calor ex aduſtione procedens, cum ille apud ſe non eſſet, mitigabatur ab illis duobus humoribus, & ſic læta, & ridicula, ſe videre putabat; Pariter, dum eſſem iuuenis, in hac ciuitate erat quidam vir nobilis, qui ſe regem Galliæ putabat, & tanquam præſentes forent Comite, & Barones ſui Senatus coram illis diſputabat, & illorum ſententias referebat, præſentes, vel domeſticos, vel ignotos, neque alloquebatur, neque audire, aut videre dignabatur, nihil ſi interrogaretur reſpondens, nihil ſi interea manu prǽhenderetur, aut contineretur, monſtrans ſe impedimentum ſentire; aut animaduertere.

Cum autem ad ſe rediret, vehementer dolebat, & pudebat ſe hæc dicere, aut facere; Alij contingit ex ira nimia, mente moueri, & cum eſſet Nobilis, & Senator, fere nudus de domo exiuit fulte magno armatus, quo fugientem feruulum quendam dolare quærebat; Huic igitur bilem flauam aduri, & aduſtam ſuperare alios humores putandum eſt; quando paulo poſt febre, & vehementiſſimo captus delirio, vel potius furore mortuus eſt. Putarunt medici prædicto humore plenas eſſe cerebri vacuitates, aut potius ſimilem materiam totam cerebri occupaſſe ſubſtantiam: Quod viſum eſt; fieri poſſe ab humore aquoſo, & cum ſalſa pituita mixto. Fuit etiam quidam, qui præmulta, & maxima aſſiduitate in ſtudijs litterarum effectus eſt comatoſus, nihil pene reſpondens, & ſi quid ſemper ab re, cui ex hoc morbo mortuo, cum ſecta fuiſſet caluaria cerebrum in farctum humore quodam ſubflauo reperiere, & aquoſo.

De complicatis complexionibus, de calido, & ſicco temperamento. Cap. XXIX.

QVæ temperamenta excedebant, aut deficiebant à naturali, atque optima temperie hominis contemplati ſumus, & quomodo cognoſcerentur, & quas propenſiones in hominibus inducerent conſiderauimus, nunc complicatas conſideraturi, quæ præſtantiores ſunt, à calidaque, & ſicca exordiemur, hæc refert ignem; proprietates igitur ignis analogicè illi conuenient; Quare primum ante oculos habere oportebit ignis naturam; quæ conſiſtit in fieri, quapropter ſemper eget eo ex quo fiat, calidus, ſiccus, rarus, leuis, penetrans, mobilis, ſubtilis,

facile cedens, maxime actiuus eſt ignis principium vitæ, omniſque motus, omnis denique operationis, non cauſa, ſed con cauſa, vt teſtatur Ariſtoteles ſecundo de anima: Igni proportione reſpondet bilis, quæ flaua dicitur, ætas Iuuenilis, æſtiua tempeſtas, diei meridiana pars, quando nempè ſol in meridie exiſtit, ignis in animali propria eſt ſedes cor, à quo Spiritus Vitales tanquam à lucente flamma radij, per vniuerſum corpus feruntur, vt lumen per diaphanum corpus.

Cui itaque inexiſtit huiuſmodi temperies, hoc eſt, cuius ſanguis exiſtet circa præcordia calidus, & ſiccus plus iuſto, in hoc prædominabitur bilis flaua, cum ſubdominio ſanguinis, quo calor ſiccitatem ſuperabit, calidus, enim vterque humor eſt, tum ſanguis, tum bilis, remittitur ſiccitas bilis aliquantiſper ab humido ſanguinis, ac ſequetur tertio loco melancholia intendens bilis ſiccitatem, vltimo exitit pituita.

Cui itaque naturales humores iſti quattuor ſic diſponentur, & omnes erunt ſecundum naturam propriam, atque homo ab interno principio, & per ſe, non autem per accidens talis erit, ſecundum corpus, iſtas habebit conditiones: Capillus niger, ignis enim proprium eſt, cum agit in humidum, colorem parere nigrum, quod in caligine, & in carbonibus conſpicitur, at capilli ex humore viſcoſo, & lento qui aduritur, naſcuntur, ſunt enim proportionati caligini, quæ in caminis vbi multus ignis accenditur, generari ſolet, ſunt etiam capilli craſſi, quoniam calidi eſt rarefacere, rarefacti pori cutis, pilos generant craſſos, ſi vero magis, magiſque augeatur calor, exſiccati cutis pori ſiun ſtrictiores, & diſtorti, vnde crines naſcuntur criſpij, quos videmus in æthiopibus, color totius faciei ſubſqualidibus, qualis apparet in cinere conbuſto, frons lata, quadrata, æqualis, naſus magnus, oculi concaui, cærulei, parui potius, quam magni acute in Iuuentute, videntes, caloris enim proprium eſt, acdemum ignis exſiccare, rarefacere, dilatare; totum corpus benè for matum, pectus amplum, piloſum, macrum, os magnum, ſubtilia labra, dentes robuſti, mediocres, manus, ac pedes magni potius, quam parui, vngues magni. longi, robuſti, ſubroſei, corpus rectum, vox grauis, motus celeres, prompti, inæquales, ac tota demum natura, quæ ignem referat. Quemcunque itaque ha. bere tale temperamentum videbimus, hunc vocabimus in conſiderationibus acutum, admonitorem, etenim ignis alijs ſupereminet, & qui alios admonet, ſe illis meliorẽ putat, eſt etiam ad-

ne-

notator, aculeatus quiq; in aliena inquirat facta, vt inde riſum ſibi, & alijs paret, promptus ad affirmandum etiam, quæ exacte non nouit, atque acris, ignem enim hæc conſequuntur, facilis ad altercandum, nam & alijs præeſſe vult, propter idem animoſus, & qui ſemper ante alios loqui velit, aliorumque mentem anticipet, celeritas enim ignis, & vehementiſsima ipſius motio eſt; paratiſſimus ad appetendum, & quæ vehementer appetit, illa eadem facile reijcit, nam calidi eſt attrahere, & congregare, & congregata diſſipare, quod videmus in flamma, quæ lychno in exiſtens attrahit oleum, & quod attraxit rurſus in fumum, in aerem, in cinerem, atq; excrementum, quod fungum vocat Virg. in Georg. conuertit. Huius eiuſdẽ propriũ eſt, modo hunc, modo illum manu apprehendere, alium alloqui, & reſponſum non expectare, audita citiſsimè obliuioni dare, inter ſocios ſolum eſſe, qui audiatur, ignis enim proprium eſt obſtrepere, nec quieſcere, eſtque ceù Achilles, durus monitoribus aſper, inexorabiles, & tales quales eſſe deſcripſit Horatius Imberbes Iuuenes, qui primum ſoluti, aut à paternis admonitionibus abſunt, aut ab adiunctis cuſtodibus. *Aſpernator* igitur eſt, etenim ſibi fidit, ſi quidem alacris eſt, atque animoſus, hoc eſt plenus audacia, & iracundia: Hic idem bellator eſt, & mille promptus ſiquidem animoſus, atque alacris, & ſperans, plenuſque confidentiæ exiſtit; Et bibax, ſicci enim, & calidi eſt humorem appetere, ceu cum terra æſtu calens, ac percita deſcendente pluuia ad propriam naturam traducitur. Ad cauillationes aptiſsimus, aculeatus enim adnotator, & propter hoc conuiciator, & cotumelioſus, alijs enim ſuper eminere ſtudet, & ſocietatum conturbator, & & qui facile cum alijs contendat, nimium enim cauillator, at ſi non hæc ſola, ſed quam plura alia incommoda patiatur, acri tamen ingenio abundat, verſatilis eſt ad intelligendum, promptiſſimus ad participandum quæ habet, & quæ ſcit paratiſsimus, liberalis itaque & promptus ad auxiliandum amicis; Ignis enim proprium eſt ſe dilatare, alijſque iungi, eadem de cauſa emendatus, atque mundus, & in actionibus exactus apparebit. etenim ad agendum promptitudo, ingenij acrimonia, ambitio, honoriſque appetitus hæc facit; ſi quid vnquam ab aliquo ſibi debetur, id acerbe quærit, exactorque ſeuerus eius, quod ſibi debetur, calidi enim eſt vehementer attrahere, attrahit enim quæ congenea ſunt; eorum quæ dicit, quæ narrat exagerator eximius, nam calidi eſt dilatare, atque expandere, exultat, ſibique ipſi mirificè.

cè confidit, exprobrator beneficiorum, ſuperbus enim eſt, & ſibi confidens, & iracundus, factioſus, feroxque etenim altercator eſt, ſuperbus, & contumelioſus. Ijs, quos amat valde amicus eſt, quæ enim vult vehementer vult, quando igitur Amicis bene vu t, etiam ijs vehementer eſt amicus; Generoſus eſt, & audax ſibi enim confidit, & hac de cauſa prõptiſsimus eſt ad animandum, & exortandum alios, cum enim calidi, & ſicci proprium ſit referre ignem, ignisque fuliginem cauſet, aduſtus itaque in ipſo natura producet humores, quare & hic excedente ſicco, & euaporato calore, vel ob ætatem, vel ob aliam cauſam frigidus fit hominum oſor, homicida, & vt ait Mauritius Imperator apud Cedrenum cum homicida ſit, timidus etiam efficietur, non enim ad occidendum hominem naturaliter vllus inſtigatur, niſi qui à calore in multam ſiccitatem degenerans, effectus eſt melancholicus aduſtus, quare taciturnus, paucorum verborum homo terram aſpiciens, numquam iram deponens, quoniam ſibi timet, igitur occidere quærit eum, qui ipſi nocere poteſt, ſic Viperæ neminem feriunt, quem non occidant, ex aduerſo Leones ſi quos grauiſsime vulnerarunt facilime ſanantur. Vigente calore inſultat, & illudit alijs, plus enim quam alij ſe ſapere putat, quoniam ſuperbus eſt, & ſibi perſuadet valde, & iperi ſus eſt, ignis enim eſt alijs ſupereminere, & propter eandem cauſam impudens, & iniurioſus, ignem enim refert, libenter alijs inſultat, & percunctator eſt, nam hoc proprium eſt ſuperbi, libenter aliena inuertit, etiam violenter, nam hoc ignis opus eſt, qui ſi recta ratione operabitur, viresque apte ſortitus fuerit, magnanimus erit, magnificus, & liberalis, vir ad militiam natus, naturaliter minax, & ſi quando oporteat, alijs inclinare ſe, hoc difficillime agit, ſiccum enim alijs difficile cedit; Bonorum ſuorum oſtentator eſt, ignis enim vbicunque ſit facillime ſe explicat, ad phreneſim inclinatus, nam multa bile flaua abundat quæ ſi caput petat phreneſim inducet, præceps, & moras omnes præcipitans, calidus enim, & ſiccus eſt, & quoniam ſuperbus alijs præeſſe cupit, procax, petulans, atque alijs inſultare paratus; Naturaliter ad Venerem inclinatus, quamuis valde ab eadem lædatur, parum enim ſeminis propter ſiccitatem generat, & multos Spiritus propter calorem eijcit, vnde ſequatur leſio. Huis temperamenti proprietas quædam eſt, vt eadem ſepè replicet, calidus enim, & ſiccus ignem refert, ignis eſſentia eſt hæc, vt ſe continue reiteret, ſic Florentini, ſic Ge-

nuen-

nuenſes ex conſuetudine eadem repetere verba ſolent; redargutor idem eſt, alijſque libenter contradicit, nam ſe alios ſuperare putat, vnde & rixoſus eſt, & plerumque ſagax, & acutus; quoniam autem ingenio acuto præditum diximus, ſalſus eſt, & Satiricus, & qui libenter alios naſo ſuſpendat adunco, dum mouetur ſpiſſi gradus eſt, & totus ſe contorquens, mobilis, inſtabilis, ſtrepitoſus, ſtimulator aliorum, inuocatus teſtificator, temerarius, hæc enim ad ignis proprietates referuntur, vnde, & tumultuoſus eſt, & turbulentus, etenim temerarius, & ſuſpitioſus, vt diximus, moreſque habet tyrannicos, & violentos ſuperboſque cum ſit contumelioſus, alienorumque vſurpator; Inter hæc tot incommoda hoc bonum habet, quod apertus eſt, & veridicus, quique neminem decipere ſciat, aut velit, qua propter, & hac vna ratione amatur, Leonis enim naturam repreſentat, & ignis, qui lucidus eſt, omnibuſque conſpicuus.

De proprietatibus, & propenſionibus huius temperamenti quoad contemplationes, & artes. Cap. XXX.

CAlidum, & ſiccum temperamentum eſt vel ſecundum totum, vel ſecundum partes principales, cerebrum, cor, hepar; quę ſint proprietates ſequentes temperiem totius diximus, nunc quæ nam accidāt calido, & ſicco cerebro, & quomodo hac temperie præditum cerebrum ad cognitiones, & motus progreſſiuos diſponat hominem nunc eſt dicendum. Cerebrum calidum & ſiccum cognoſces ex pilorum capitis craſſitie, nigredine, raritate, criſpitudine, ex capillorum quaſi circum volutum verticem aquæ imitante, oculi parui, crocei, aut cærulei, naſus magnus, facies oſſea ſqualida, os magnum, excrementa pauca, concocta, ſicca, auditus acutus & odoratus, cum alijs qua iratibus, quas enumerat Gal. lib. artis paruæ cap. de calido, & ſicco cerebro Cum itaque cerebrum ſenſus, ſeu cognitionis ſit organum, nec non & motus localis, cognitionis quidem ſecundum quod eſt corpus ſimilare, motus vero ſecundum quod eſt diſſimilare, manifeſtum eſt, quod quale erit cerebrum, talis erit diſpoſitio ad cognoſcendum; cognoſcimus ſenſu, & intellectu, ſenſus externus ſi conſideretur, vtique viſus ab aqua conſtituitur, ab aere auditus, ab igne odoratus, à terra cum aqua tactus, ab aqua cum terra guſtus, quem dicunt tactus ſpeciem; quare ſi calido, & ſicco vtitur odoratus, excellet igitur in hac temperie olfactus,

factus,

factus, & oculi parui erunt deficiente humore, acuteque cernent propter excrementorum carentiam, & aer ſiccus, hoc eſt aqueo humore priuatus ad naturam ignis accedens facillime mobilis eſt, ideò exactiſſimè audiunt, quod etiam accidit ijs, quibus mors inſtat, plerique enim acutiſſimè audiunt, quoniam eſiccatum à calore, & ſiccitate febrili cerebrum aerem connatum, in auribuſque implantatum ſicciorem facit, ſic facillime mouetur; Nam aerem implantatum moueri, nihil aliud eſt niſi audire, exactiſsime igitur audiunt, nec male vident, & optimè odorant, at quoniam calidi eſt attrahere facile ab humido externo leduntur, hinc flante auſtro, & tinnitus & raucedines, & coryzæ, & huiuſmodi affectus hanc temperiem opprimunt; Caro quoniam dura eſt, non exactè ſentit, quare nec exactum admodum habet guſtum; Quomodo ſe habeant externi ſenſus, & propter quid, dictum eſt, meliuſque ſe habebunt æſtate, quam hyeme, ſimile enim ſimili conſeruatur, & in ætate virili, quam in iuuentute facile catarrho lædentur, ſed facilè etiam ſanantur, in his vita mediocris eſt, nam conuerſo per ætatem in frigus calore frigidi, & ſicci effecti inſperato moriuntur. Interni ſenſus ſunt memoria, phantaſia, & ſenſus communis; huius eſt recipere, memoriæ retinere, phantaſiæ iudicare; Communis ſenſus in humido, & calido temperato poſitus eſt, quare adoleſcentes ſenſum hunc vegetum habent, & facile omnia ſenſibilia aduertunt, at memoria humido recipit, ſicco retinet mediante frigido, quod rerum formas terminat, quare quæ pueri receperunt, aut didicerunt, eaſdem à ſenibus retinentur, quæ vero grandiores natu diſcere tentarunt cum multo labore, & recipunt, & retinent. Phantaſia iudicat ſeparat igitur, & iungit cum moleſtia, aut iucunditate agens calido, & ſicco ceù inſtrumentis, altero quidem iungit diuerſa, altero ſeparat, nec ideò puto ego phantaſiam affirmare, aut negare, ſed dico, quod illa percipit hæc, nempe album, & dulce eſſe in eodem, & eadem non eſſe: Intellectus tres habent potentias, cogitatiuam, diſcurſiuam, apprehenſiuam, frigore perficitur cogitatiua, calore diſcurſiua, mens res cœleſtis nullo corporeo auxilio, vel omni eget ad ſuum opus peragendum: Nullo, quoniam nullius corporis eſt actus, ſiue nullius partis corporeæ; vtitur tamen omni quoniam intellectui totum corpus ſeruit, quod ſi hæc vera ſunt, manifeſtum eſt talem paratiſſimum habere intellectum ad diſcurrendum, & facile natum ferri ex hoc in aliud, tanta celeritate, vt

ple-

plerumque non meminerit eorum,quæ paulò ante intellexerat, paratiſſimus igitur eſt ad verſandum per omnia intellectum, ſed quæ intellexit nimia velocitate dum tranſeunt non retinentur. In cogitando, hoc eſt in componendo, & diuidendo propter frigoris inopiam in affirmatis, aut negatis non permanet, niſi ex obſtinatione, atque ambitione, ergo ad Mathematicas ſcientias inepta eſt hæc temperies, ſed nata videtur ad negotia, ad procurationes, ad lites, ad iurgia, ad rixas, neque quod pulchrum alijs ſuadent, ipſi facere poſſunt, propter igneam naturam, non ergo ad artes niſi militares, aut eas quæ cum multis ſocijs fiunt, ſunt vtiles, vt remigium, meſſis, trituratio, & huiuſmodi; quid ergo de horũ cognitricibus potentijs deductum ſit, hinc patet, de motrice, quæ ſequitur ſenſum mox dicamus. Non eſt localis motus ſine appetitu, aut voluntate, nec vtraque ſine intellectu, aut phantaſia, nec eſt intellectus, aut phantaſia ſine ſenſu, & cognitione, qualis ergo, & cognitio eſt, & cognitionis modus, talis eſt etiam & animalis motus progreſſiuus, cum ergo ijſdem principijs innitantur, neceſſe eſt etiam vt inter ſe ſecundum illa conueniant: probabile igitur eſt, calido, & ſicco temperamento præditum in ſuis motibus celerem, vehementem, & citatum eſſe, ſtare loco neſcire, nec poſſe manus, pedes, caput continere, ſed frequentibus motibus inconcinnis moueri, hoc enim in his proprium eſt, cum ergo aut loquitur, aut aliquid agitat mente, nec manus continet, & modo feſtucas, modo floccos legit, & cum iter attigerit, progreſſumque incœperit, facile reſiſtit, hoc enim flauæ bilis opus eſt, vt aliquando procedat, modo recedat, nec eundem obſeruet in ſuis motibus tenorem, ille idem & manibus, & toto corpore dum incedit, ſe conuertit, & quaſi in giru mouetur, & hæc de motu huius dicta ſint.

In actionibus aliquando plus iuſto cautus, & ſubtilis apparet, ſed poſt conſultationes quas fecerit, concluſiones non obſeruat, plus iuſto enim mobilis eſt, res alienas vehementer appetit, ſuas inconſideratè diſperdit, calidi enim eſt remota attrahere, attracta diſſipare. Circa amicos Imperioſus, ſuperbus, quique libenter alijs ſemper imponere, conuitiari, controuerſari cupiat, in ſocietatibus ſe ipſum exaltat, amicos deridet, ſi quid beneficij fecerit, exprobrat libentiſſime, litigat, clamat, minatur, rixatur, at ſi quis ſe virum oſtentet, illiuſque dicta flocifacere demonſtret, ſubito ſe remittit, & humilis euadit, nec ſuperbiam, et contumeliam exercet, niſi cum ijs a quibus certo credit ſe impunè

punè laturum eſſe, quæcumque dicit, aut facit, hæc enim flāmæ natura eſt, vt paruo momēto modo ad has, modo ad oppoſitas partes leui flamine mutetur, quare cum aliȷs intolerabilis eſt, et omnes agitat, et quaſi officium faciat eorum, qui tympanum ſonant in bello, nam bella cient, alioſque animant ad conferendas manus, ipſi interim nec arma tractant, nec quemquam feriunt, ità hic ſi cum ſodalibus reperiatur vnus *ære ciere viros, martemque accendere cantu*, et voce ſua poteſt; ſolus neque hiſcere audet, nec cuiquam vim inferre; Hæc ignis natura eſt, qui tantus eſt, quanta ſunt ligna, quibus hæret, ſoluſque nullius momenti eſt quare ab amicis, intolerabilis iudicabitur, inimicis abiectus, et humilis videbitur; Honores magnopere appetet, et preſertim paruos nec pati poterit, ſi aut non ſalutabitur, aut de via non cedant illi, qui alias ſoliti ſunt hoc agere, ambitioſus enim et inquietus alios ſuperare quærit, et eos ſibi ſubijcere, qui debiles ſunt, ſic ignis plumas, et huiuſmodi res appetit, et celerrimè conficit; quare ſimul ambitioſus eſt, et ad cedendum paritiſſimus, ergo et quodammodo vilis, nec præ metu curans inhonorate agere. Sic videmus degeneres canes cum minoribus turpiter cedere, qualis ſit ergo hic ipſe tum ſecundum animum, tum ſecundum corpus, quomodo agat, et quantus ſit dictum eſt.

Reliquum eſt vt ipſius Naturales propenſiones in Deum, Religionem Diuinoſq; miniſtros ſpectemus; huius ergo Natura niſi legibus inſtitutis, educatione, ac ipſa demum ratione cohibeantur Capanei, aut Mezentij Naturam, & propenſiones habebit, etenim & Deum contemnet, & religionem ridebit, & religioſos ſpernet, cumque res proſpere procedunt, aut quando eſt cum alijs, inter eos exultat, & aliquid apparere vult, hic idē, ſi quando aliquid aduerſi ipſi accidit totus in preces ſe conuertit, Deum obſecrat, & ex ſuperbo abiectiſſimus efficitur, & quam tunc non meretur, a Deo, humiliter opem expoſtat; Talis igitur eſt hominis huius Natura, raroque medium attingit, ſed modo ad hanc, modo ad oppoſitam extremitatem ſe ſe applicat, artibus nullis videtur deditus, niſi forte oratoriam aut dialecticam exerceat, aut illas quæ artificioſæ dicuntur, in quibus multum eſt ingenij, & parum corpus laborat, eſt enim hic vir naturaliter inſtabilis, ſiquidem calidus eſt, & ſiccus, ignem enim refert, cuius natura eſt ſubtilitate quidem alia præcedere elementa, & penetrare, & inſtabiliſſimum eſſe, & nunquam in eodem ſtatu permanere qualis igitur ſit naturaliter vir hac temperie præditus in flore ſuæ

ætatis,

ætatis, & cum quadrageſimum annum natus fuerit, & in vere, & temporibus calidis, ex his manifeſtum eſt, & cum bilioſus ſit probabile eſt breuem vitam habiturum, & niſi circa trigeſimum ſextum annum obierit, & præcipue ex morbis calidis, & ſiccis probabile eſt vltra 54. propter humorum ſuorum ſubtilitatem vitam producere vix poſſe. Hoc autem temperamento prædita fœmina libidinoſiſſima, ſuperba, intolerabilis, curioſa, garrula, rixoſa exiſtet, veh homini cui hæc in vxorem cadet, grandis, macra, turpis, longa facie, naſo magno, piloſa, criſpa, deformis potius quam pulchra, ambitioſa tamen, & quæ formoſa puella plus iuſto apparere appetat.

De Temperamento ſicco, & calido, eiuſq; proprietatibus. *Cap. XXXI.*

TEmperamentum ſiccum & calidum longe à calido, & ſicco diſtat, etenim calidum, & ſiccum refert igneum, & ſiccum & calidum terram exuſtam, prius naturale eſt, poſterius quodammodo præter naturam, prius à flaua bile ſtatuitur, poſterius à melancholia exuſta, vel torrefacta, ſicut itaque contingit exceſſus ſiccitatis maior quam caloris, in hoc neceſſe eſt abundare melancholiam cum flauæ bilis ſubdominio, quos duos humores deinde ſequatur ſanguis, & pituita, prior in Iuuentute, poſterior in matura ætate, & ſenectute: Hunc itaque macrum, nigrum, ſqualidum, carnem flacidam habentem, humore carentem videbis, aſpectum ſeuerum, grauem, turpem potius, quam pulchrum, cui nigri adſint capilli, craſſi, hirti, facies oſſea, oblonga, oculi parui, concaui, cærulei, ſeu rubri, os latum, magnum exilia labra, dentes magni, ſeſqui pedales, mentum magnum latum, maxillæ magnæ, aſininæ, collum craſſum oſſeum, brachiorum, & crurum oſſa magna dura, manus, pedeſque robuſti, caro tibiarum ſurſum obducta, vt circa talos ſolus tendo appareat, motus tardus, ſed diu perdurans, totum deinde caput, in quo præualeat pars oſſea; Cui itaque contigerit tale temperamentum naturaliter, & præcipuè propter cordis diſpoſitionem, & hepatis in ſiccitate concurrentium, hic ſane ſanitate fruetur, quæ tamen facile ab externis propter calorem lædatur. Huic ergo accidet plerumq; ſcabies quædam ſicca, amplius & grauiter æſtum feret, & ſiticuloſus erit, & valde ſuſpectus, ne in febres habituatas incidat, à quibus vix poterit liberari. Si enim huius

temperamenti vim ſpeculemur ex vna parte propter ſiccitatem vita breuis eſt, ex altera parte ptopter calorem diuturnior, & ſanè naturalis ſiccorum animalium, ſecundum quod ſicca ſunt, breuiſſima vita eſt, quod docent inſecta omnia carentia ſanguine, ſiccum enim facilius humido naturali priuatur, quoniam paucum habet, ſi ergo aliquis tale nactus fuerit temperamentum aptus erit ad carcerum cuſtodias exercendas, ad confeſſiones audiendas, tacitus enim natura erit, ſeuerus, & rigidus, terram enim inflammatam refert, difficile igitur cum alijs conueniet; nec facile poteſt manſue fieri, niſi donis, & auro, cum naturaliter lucri cupidus ſit, ſicut terra exſiccata humorem appetit, ſi miles fuerit optime muros defendere poterit, durus enim, obſtinatus, & ſtabilis eſt, quoniam terram imitans, eſt etiam qui difficulter doleat, nec lachrymas emittit, durus enim eſt, quoniam ſiccus, & exuſtam terram refert, obſtinatus, ceruicoſus, qui plura propter deſpectum, & propter peruicaciam faciat, quam propter beneuolentiam, & amorem, incredulus atque præcipuè ſuis familiaribus; aptior qui credat ignotis, durum enim diximus, & terreum, & ſiccum, & difficile alienas formas admittentem, eſt etiam indignabundus, etenim ſiccum ſi calorem conceperit ignem refert; quos contingit hoc ſortiri temperamentum illos plerumque infœcundos aiunt, & præcipuè ſi fœminæ fuerint, cum enim ſanguine non abundent, aut ſaltem humidum naturale, nec ſemen hi, nec ſanguinem menſtruum illæ habebunt, ſunt etiam inſomnes, in humore enim ſomnus eſt, at multo magis viri, quam mulieres, ad labores, ad curas, ad ſtudia aptiſſimi, ſi modo his ſe ſe applicuerint, ijdem præcæteris libentiſſimè otiantur, & quoniom duri, eam ſeruant diſpoſitionem quam ſuſceperint diutiſſime, macri ſunt, ſicci enim, & calor humorem quo alitur, oleoſum foras tranſmittit; vnde eorum ſubuculæ, & panni apparent vncti; naturaliter ſunt ſani, robuſti, & neruoſi, hoc enim psoprium eſt ſpirituum calidorum, & ſiccorum robuſtum facere hominem, quod apparet in iis, qui ex melancholia aduſta in furorem rapiuntur; Aptiſſimi ſunt ad omne ſcientiarum genus, & præcipue ad Mathematicas; contemplationibus, & curis, & diſputationibus maxime accommodati, id enim ex Ariſtotele cauſat melancholia ſi quando calorem conceperit, pertinaces, peruicaces, impœnitentes, obſtinati, perſeuerantes, duri etenim, ſiquidem ſicci, & ſi quando contigerit ipſos magis, magiſque iraſci, rabioſi efficiuntur, immiſeri-

cor-

cordes, rebelles, precibus ſurdi, illarum recuſatores, repudiatores, repugnantes dictis, factiſque, & rationi, & violentiæ ſe ſe opponentes. Horum vna eſt proprietas, vt quamuis parum apti ſint ad generandum, in Venerem tamen ſint proni ex eodemet Ariſtotele, ſpiritibus enim & humoribus acribus abundant, qui vellicant partes illas, quá eadem de cauſa & acuti ſunt, & ſententioſi, ijdem enim ſpiritus, qui hominis irritant tentiginem, ſunt qui etiam, cum ad partes ſuperiores feruntur, faciunt hominem acutum, & aptiſſimum ad intelligendum, et cum magnorum virorum hæc ſit natura, contingit pleroſq; illorum falaciſſimos fuiſſe, vt de Dauide, Salomone, Ariſtotele, Socrateque legitur, atque hac eadem ratione, horum filij degeneres ſunt, aut quia ſanguis, et ſpiritus ad ſuperiora conſuetus eſt conuerti, aut quia plus iuſto Veneri dediti infœcundum emittunt ſemen. Cæterum ſolertes ſunt, vt diximus, et acuti, et ſpeculationibus dediti, ſed naturaliter ſeueri, taciturni, ſubaſperi, & qui libenter ſolitarij viuant, ſolitudineque delectantur, has & ſimiles cognoſcemus proprietates in ſicco, et naturaliter calido homine cum ſecundum naturam propriam diſpoſitus eſt Huius temperamenti tres ſunt gradus, vltra tertium non ſtat humana ſanitas, primum gradum cognoſcemus in Italis qui citra Apenninum, et in Ciſpadanis habitant regionibus, hoc eſt intra Apenninum, et Padum hos enim, vt plurimum videbitis capillis ſubnigris, facie oblonga, non admodum pingui, barba colorem corticum Caſtaneæ referente, qui ijdem facile hippocondriaca paſſione laborent, & ex ſe ſolitarij, & taciturni ſunt, at ſi contigerit illos eſſe cum ſodalibus, loquique cæperint incaleſcunt in ſermone, nec à loquendo diſiſtere ſciunt, & cum ex ſe nec moleſti, nec inſolentes ſint, cum ſodalibus intolerabiles euadunt, Secundum genus hominum demonſtrabunt Hiſpani, & præcipuè Luſitani, ſuperbi, ambitioſi, glorioſi, auari, alienorum cupidiſſimi, audaciſſimi, qui per tela, per ignes, & per media æquora, et gloriam, et diuitias quærant. At tertium locum occupabunt Pœni, ſiue Aphri, atque illi præcipuè qui Mauritaniam incolunt, quam hodie Barbariam appellant, illi enim omnes capillum criſpum habent, nigrum, barbam paucam, raram, craſſam, nigram, corpore parui potius, quam magni, ſed doloſi, mendaces, infideles, crudeles, timidi, cauti, ſagaces, & qui in Fortunis aduerſis animo promptiſſimè deſpondeant; ſed in proſperitatibus inſolentes, & intolerabiles exiſtant, qui vltra hunc gradum

ſortiti ſunt temperamentum, plerumque ſpiritu malo tentari dicuntur, lunatici, et melancholici, aut etiam ſtulti vocantur, quid ergo, & quale ſit temperamentum ſiccum, et calidum, quod eſt inuerſum ſuperioris, et quot ſint eiuſdem gradus, et quas proprietates, ſeù potentias inferat ijs, qui illud habent, ex dictis manifeſtum eſt. Reliquum eſt vt quid importet ſi in Cerebro ſolo reperiatur, aut Hepate, aut Corde dicamus.

De ſignis, & proprietatibus partium principalium in quibus ſiccitas, & calor prædominatus fuerit. *Cap. XXXI.*

SI quem contigerit cerebrum ſiccum habere, et calidum, illi inerit ſuperfluitatum defectus, et ſenſuum perſpicacitas, & acrimonia, & ad vigilias promptitudo, capillos habebit duros, craſſos, criſpos, faciem oſſeam, rubicundam, & colorem Cariophilli floris imitantem, oculos paruos, ſed perſpicaces, ſupercilia clara, nigra, robuſta, plerumq; coniuncta, facile huic caput replebitur, ſed facile liberabitur, naſus magnus, et os diductum, et manus, et pedes oſſei, macri, ſed robuſti, totumque genus neruorum robuſtum, et forte; cumque motui, et cognitioni, et appetitioni ſeruiat cerebrum, vtque ait Ariſtoteles à cognitione ad appetitum, ab hoc ad motum procedamus, motum voluntarium eſſe ſine appetitu, et appetitum ſine cognitione impoſſibile eſt, quapropter omnes hæ operationes ſunt cerebri, quas mediantibus neruis ſpiritum cerebri portantibus, ipſum cerebrum perficit; ſi ergo cerebrum ſiccum fuerit cum calore mediocriter excedente, externi ſenſus, & præcipue auditus, odoratus, & viſus erunt acutiſſimi, cuius indicium eſt, quod acutiſſime odorant canes, quorum cerebrum ſicciſſimum eſt, & ſulphure mederi ſolent, quorum hebeſcit odoratus, & homines catarrho oppreſſi peſſime odorant, & ſæpiſſimè peius ſonos percipiunt; qua propter ſiccum cerebrum vigentes ſenſus habet, quamuis notauerit Gal. eos facile viſus acumen perdere, & grauedine plerumque laborare, ſenſus interiores diuerſimode afficiuntur; difficile phantaſmatum differentias memoria ſuſcipit, ſuſceptas diutiſſime tenet, & phantaſia promptiſſima eſt, & iudicat exacte, ſenſus vero communis, cuius proprium eſt recipere, calore incitatur, ſed ob ſiccitatem quandoque difficilè recipit, ſic ergo inte-

riores

riores tres ſenſus, quorum vnus recipit, alter retinet, tertius iudicat, diſpoſiti ſunt; Iudicio phantaſiæ annexus eſt appetitus, cuius pars irraſcibilis in calido, & ſicco, concupiſcibilis in calido, et humido poſita eſt. Hic igitur qui tale ſortitus fuerit temperamentum erit maximè iracundus, moroſus, & cum ſe offenſum fuiſſe iudicauerit, vix poterit ſtare loco, vix parcere, & prçcipuè cum ſe iniuria affectum putarit, huius appetitus ad Venerea mediocris quidem erit, ſed ſi habitum contraxerit in amore, nuſquam dimittit ardorem, ſiccum enim quod ſuſcepit retinet; Intellectus acutus, contemplationibus deditus, ad inquiſitiones, et inuentiones perſpicaciſſimus, vehemens, ad diſcurrendum paratiſſimus, et reſolutiones quas fecerit exactiſſime ſeruat, motus velox, diù durans, erectus, robuſtus, hæ igitur paſſiones ſunt, quæ cerebrum ſiccum et calidum comitantur. At ſi cor ſiccum fuerit pulſus efficit duriores, frequentiores, reſpirationem magnam, pectus piloſum, macrum, ad actiones natura promptum, erit etiam qui tale ſortitus fuerit cor, ferus, ferreus, immiſericors, audax, & penè furibundus, parum rationem audiens, caro dura, oſſea, multis pilis abundans, tactu aſpera, inconcinna, huiuſmodi genus Martiale appellare ſolent, Aſtrologi, hanc truculentam feritatem à Planeta illo animis hominum infundi dicunt ſolere. At ſi Hepar ſiccum fuerit, ſanguis craſſior, venæ duriores, habitus corporis ſiccior, flaua bilis abundat, quæ facile in atram degenerat. Horum vita naturaliter quidem ſana eſt, non tamen diuturna admodum, facilius enim in frigidum, & ſiccum mutatur ſiccum, & calidum, quam humidum, & calidum, quoniam mortis ratio in ſicco, et frigido poſita eſt, et facilius temperies hæc ſicca, et frigida fit ex qua mors, quam calida, et humida, ceterum hos pene omnia morborum genera, quæ à melancholia, procedunt comitari ſolent, et plerumq; hippocondriaca paſſione laborant, ad maniam, ad acutiſſimas febres prompti ſunt, ad herpetes exedentes, ad quartanas inclinati ſunt, ac demum ad omnes morbos (vt dictum eſt) qui ab atra bile ſolent generari, tales igitur erunt qui hoc nacti fuerint temperamentum, ſi quando contingerit vnum ex his tribus principalibus membris ita affectum eſſe, & reliqua aut non repugnauerint, aut eodem modo erunt diſpoſita; cum ergo temperamenta in quibus præualet cum calore humor, et ſiccitas diximus, reſtat vt ad ea, quæ à frigore fiunt accedamus,

De

De Temperamento frigido, & humido. Cap. XXXIII.

CAlida temperamenta tum cum ſicco, tum cum humido coniuncta contemplati ſumus, de frigidis nunc agendum, & primum de frigido, et humido, ac de eiuſdem conuerſo, itidem d frigido, et ſicco agemus. Primum ergo dicamus quid ſit hoc temperamentum, quomodo fiat, et ex quibus. Secundum potentias et diſpoſitiones quæ in ſubiectum ab ipſo introducuntur, poſtremo quales ſint, et in actionibus, et in contemplationibus, et quam ſubeant vt plurimum fortunam, qui hanc qualitatem ſortiti ſunt conſiderabimus. Frigidum dicitur id quod natum eſt congregare tam ſimilaria, quam diſſimilaria; Conſtringit igitur vnit, terminat, ſed imperfectè, et priuationem, et terminum á quo potius, quam terminum ad quem dicit, frigus ergo quietem, frigus, priuationem, et imperfectionem notat, ergo frigoris operationes multò imperfectiores ſunt, quam actiones caloris. Humidum dicitur quod alieno termino terminatur, hoc duplex eſt, quod madefacit, quale eſt aquæ, et hoc hæret, et ália alijs hærere facit, et quod replet ſolum, nec madefacit, nec hæret, et dicitur aeris; De frigido, et humido aquam referente ſermo futurus eſt, quod definientes dicemus; Hæc temperies eſt illa, in qua pituita naturalis ita prædominatur in corpore, et membris principalibus, vt tamen eius ſanitas, et naturales operationes non impediantur. Fit hoc temperamentum ex prędominio pituitæ cum ſubdominio melancholiæ, quam ſequitur ſanguis, minima omnium bilis; præſtat igitur in frigiditate per concurſum duorum humorum frigidorum, hæc bilis atra ſua qualitate ſicca humiditatem reprimit, á ſanguine tamen lenitur. Partes quamplures hanc ſunt nacti temperiem, cerebrum, oculi, guſtus, & quæ in corpore vocantur glandulæ, hac pituita plerumque plenæ ſunt; Si ergo temperamento conſentiet locus, cibus, exercitium, ætas anni tempeſtas, probabile eſt hominem eſſe obtuſum, ingenio carentem, tardum, cauſa eſt, quoniam refert aquam, & frigus, cuius proprium eſt conſtringere, & ſimul coniungere tam ſimilia, quam diſſimilia, caret igitur ea qualitate, quam vulgo diſcretionem, hoc eſt iudicium appellant, non enim nouit diſtinguere, nec diſcernere quantum diſtet homini homo, quid deceat, quid non, & hunc vocant ſtupidum, & tardum, & dicunt ad Aſinos referri, quamuis illi ſint magis ſicci,

quam

quam huic temperamento conueniat; Huius proprium eſt hominis, & rebus, & verbis plerumque abuti, impropriè loqui nec reperire aliquando viam inueniendi propriam vocem; Cauſa eſt quoniam indiſcreti ſunt etenim tardi, ſiquidem frigidi; facile alienis moribus, & Imperijs ſe accomodant, quoniam humidi ſunt, & frigidi; propter humidum alijs adhærent, & propter caloris inopiam ſuperſtare non curant, nec ſuperbi ſunt, hoc enim audacis, & calidi proprium eſt; ambigui, dubitationum pleni, etenim, vt dictum eſt, frigidi cum ſint, neque acuti, neque prudentes exiſtunt, bilingues, mendaces, ſi quidem timidi, quoniam frigidi Eunuchorum, ac caſtratorum animalium naturam referunt, qui ex calidis, & humidis frigidi, & humidi efficiuntur, quare, vt dictum eſt, bilingues, timidi, ad fallendum parati, & quoniam, vt diximus, proprijs verbis abutuntur circum locutores ſunt, circum ſcriptores, confuſi, imperfectè ſe ipſos explicantes, coinquinati, ſeu fœdati, abiecti, & contemptibiles, etenim frigidi ſunt, & timidi, hac de cauſa effectum eſt, vt dedecus non ſentiant, & imprudentes videantur, non quod re vera ſint, ſed quod errorem ſuum non curant; qui facili negotio periurent, vel paruo lucro à recta ratione decedant, auari enim ſunt, quoniam frigidi, & timidi, inertes, deſidioſi, remiſſi, deſides qui facile ledantur, etenim audacia, & acrimonia cum penè careant, nec facile ſentiant ſe iniuria affici ab hominibus, derideri, ac deludi illos cõtingit; euiratos, & eunuchos, & ad fœminilem habitum propenſos eſſe hos homines diximus, & naturaliter ad parendum etiam turpibus miniſterijs apparent, fœmineam enim naturã ſapiunt, propter quod etiam, & garruli ſunt, & fugaces, timidi enim, in paruis etiam irreſoluti, habetes enim, exiſtunt ex tẽperamẽti natura, quæ ipſos inclinat ad dubia, ad ignorantias, & continuè quæritabundi exiſtunt; Ad hernias, & ad hydropem inclinati ſunt, & ad omne morborum genus, quod naſcitur ex pituita. Imprudentes, quoniam habetes, impudici ſiquidem nimis obſequentes ſunt, & ijs, in quibus non deberent, ad inceſtus, ad ſtupra vtroque modo ex æquo propenſi; infideles quoniam & dubij, & inconſulti, nam ſunt variabiles, ad aquam enim referuntur, quapropter inſipientes, inſulſi, inſuaues, lamentabundi etiam valde, fœminas enim imitantur, & in negotijs lenti, frigidi enim ſunt, ex his fiunt, quos appellant lunatici, frigidus enim & humidus humor, ac demum natura aquæ Lu-

nato

nam ſequitur, materialis, & pinguis, & rudis mineruæ exiſtunt, etenim inſipientes ſunt, vt diximus & propter hoc admirabundi, & qui omni etiam leuiſſima de cauſa obſtupeſcant, dictorum, ac factorum immemores, & qui niſi vt de Piſcatoribus dicitur, ſuo malo ſapiunt, ad exercendam artem Nauticam, aut Piſcatoriam, aut Paſtoralem apti videntur, nam & de generes ſunt, & non prompti ad motus; Inter omnes paratiſſimi ſunt ad capiendum mutuò, nam aquæ proprium eſt recipere, & admittere aliena, & præcipuè grauia; *Vſurariam* etiam artem poterunt exercere, & ſimilem, in qua minimum laboris, minimumque induſtriæ requiritur. Periuri & mendaces, erunt eadem de cauſa, quoniam honorem parui faciunt, plebei, abiecti, humiles, viles, quodamodo ad prodendum ſocios, & amicos, non malitia, ſed imprudentia adducti, puſillanimes enim ſunt, viles, & timidi. Iam diximus impuros, & ſpureos eſſe; Lutoſa enim, et impura eſt aqua, quæ terræ admixta illam ſuperat; ſtomacoſi igitur iſti ſunt, hoc eſt quorum aſpectus nauſeam moueat, illotis manibus, vnguibus ſorde plenis, impexa barba, ſputis referta, quæ omnia indicant aquæ prædominium in terra; ſi furatores ſunt; timidi enim et viles, et ſecundum quoſdam ad naturam anſerum accedunt, ſed reuera ſiccior eſt anſer, et hac de cauſa aquas amat, à quibus ad id, quod eſt ſecundum naturam, hoc eſt ad humidiorem ſtatum reuocetur. Cæterum qui tales ſunt ſpeculatiuum intellectum imperfectum habent, quare ad ſcientias, & contemplationes exiſtunt inhabiles, nec memorant quæ contemplati ſunt, nec quæ dixerunt retinent; In actionibus etiam quoniam immemores ſunt, & ſegnes, non benè laudantur; quod in ipſis dignum ſit admiratione nihil, nec ad iram prompti ſunt, nec ad predas auertendas, timidi enim ſunt, & ſegnes, & propter hoc nec alienas vxores, nec res vehementer deſiderant, etenim non audent requirere, non propter pudorem, ſed propter timorem. In petitionibus igitur aliquando faciliores, hoc eſt ſi ipſi petantur, libenter conuenient, peti igitur deſiderant, petere non audent; appetitiuam hanc ergo virtutem nacti ſunt, ſenſitiuam omnem habentem, motiuam etiam, vt diximus, virtutem ſegnem habent, etſi aliena deſiderant, ſed petere non audent, timidi enim, & ſua non dant, niſi coacti, aut timore ducti; amicis ſeruire, prompteque obſequi poſſunt, ſed id ingratum illis eſt, ineptè enim, & inſulsè hoc facere nouerunt, honorum non ſunt appe-

tentes

tentes nec ambitioſi, frigidi enim & inſipientes, & viles ſunt; ſe ipſos, propriumque decus obſeruare neſciunt, & quid deceat, aut non, in dictis, & factis ignorant, ſtupidos enim & inſipientes diximus, ad ſuperſtitionem propenſi, quoniam timidi ſunt, & creduli, atque ſine delectu ceu fœminæ non minus ritè, & rectè vt decet, quam ſuperſtitioſe, & præter rationem Deum, & Sanctos venerantur; & tot de temperamento frigido & humido, & de eius inclinationibus ex materiæ diſpoſitione prouenientibus dicta ſint.

De Temperamento humido, & calido. Cap. XXXIV.

HVmidum atque calidum corporis temperamentum ex his ſignis cognoſces; Tactui caro calidior apparebit, hirſutumque erit corpus, & minus pingue color in facie rubor ad punici mali corticem accedens; capilli, cæterique pili etiam nigri; & corpus totum fere vnctum, & neſcio quid oleoſi, neque bene olenti ſucci remittens. Hoc autem de temperamento naturali, non autem aſcititio loquor, quod aſcititij genus multiplex eſt, cum hoc ab ætate, aliud ab aere, illud à cibo, vel à loco poſſit induci; vel etiam per participationem ab aliquo membro principali, At quomodocumque ſit, capto homine, vel fœmina in ætate conſiſtenti, in loco temperato natis, & comparatis cum alijs ſui generis, eos calidos appellamus quibus inſunt qualitates ſiue ſigna ſupra dicta. His adde quod motus eſt velox, lingua celer, oculi maxime mobiles, cutis ad ſubnigrorem accedens cum rubore multo; pili aliquantis per in extremo criſpi; & eo magis, quo magis calor præualet; cuius intenſionis, & exceſſus tres ſunt gradus primus quidem quando corpus calidius apparet, ac cutis cum multo rubore ſubalba; ſecundus autem quando corpus eſt hirtum quidem, & pilis circa pectus, & crura abundãs, & extremitates ſatis magnæ; Vltimus gradus quando cum nigro ſiue ſubfuſco quodam rubore mixtus eſt quidam ſubcinericius color, & corpus macrum eſt & veſtes inungit. Qui in primo caliditatis exceſſu reperitur, cum iam ad ætatem peruenerit conſiſtentem; neq; lege, aut conſuetudine, aut ratione, aut electione, in contrarios habitus reſtitutus fuerit; plerumque talis erit, ſic etenim naturales inclinationes ſe habent, vt ſerra ad ſcamnum, & gladius ad ſcindẽdum; licet iiſdem quandoque etiam artifex oppoſito modo vtatur; qui artifex animæ reſpondet,

vt membra corporis, artificis inſtrumentis.

Cui itaque in primo gradu, calorem ſuperabit humida complexio, in 45. gradu naſci ſolita; in locis campeſtribus, & a proprio ſitu, non alienatis, nec præter naturam diſpoſitis. Huic aereni æſtiuum referenti tales à temperamento in erunt inclinationes, quas ſi ſequetur probabile eſt futurum, talem qualem mox dicemus. Erit igitur tali præditus inclinatione; Aptiſſimus ad perſuadendum alijs. quoniam calidus, & ad leges abrogandas,& mutandas natus,mutabilis enim alienorum appetitor, ac raptor, acer, actiuus, mobilis, inſtabilis, affectator alienorum ad cauſas agendas aptus, & qui procurator aliorum eſſe poſſit bonus, quoniam facile afficitur, & impreſſiones capit,aeremq;in hoc refert;ambitioſus, animoſus. Vt autē facilius quæ dicuntur intelligi poſſint, ſciendum quod quamuis omnes paſſiones naturales compoſitæ ſint, aliæ tamen magis ad vitam pertinent actiuam, aliæ ad contemplatiuam; aliæ demum ad artificioſam, & operoſam; Atque tanquam ad tria vniuerſalia genera poterunt omnes redigi naturales inclinationes; ſi à fine eas iudicare volemus; ſi vero à principio, vtique inclinationes vel ad intellectiuam partem pertinebunt, vel ad ſenſitiuam, vel ad vegetabilem, quæ vero futuræ ſint harum facultatum præcipuè operationes ex earum principalibus iudicamus inſtrumentis.

Qui itaque ſecundum primum gradum caloris elongatur à naturali temperie; & toto corpore humidiore, & calidiore, ac præcipue corde, & cerebro, tamquam totius exceſſus præcipuis cauſis. Hic quo ad eam partem quæ cognitiones, & ſcientias reſpicit, & quo ad vitam contemplatiuam, nunc ita lato quodammodo captam,vtique probabiliter denunciari poterit; Acutus ſane, ac promptus in inueniendo, in diſponendo tamen confuſus, propter celeritatem diſcurſus præceps, & anticipans maius extremum ante medium terminum; propter inordinatam celeritatem in ſuis cogitationibus non perſiſtens; mendaciorum fabricator magnus; & plerumque nugarum. Vt autem ſunt ad inueniendum parati, & ad iudicandum apti; ita ad diſponendum, ac exequendum ea quæ iam inuenta ſunt non admodum perfecti ſunt homines iſti.

Memoria enim minimum valent; & dum loquuntr, quæ paulo ante in mente concepta fuere effugiunt, & nihil eorum quæ conceperant prius manent; Memoria enim quietem dicit, quies frigidi opus eſt; Vt caloris motus, ignem enim numquam deſerit

rit motus, ſi animum ad vſualem, & elementarem appellatum, applicauerimus. Alijs itaque multo melius ſcientias monſtrabit, ac dum loquitur doctior multo apparebit, quam cum ipſe idem ſecum meditatur, ac meditata ſcribit, per pauco enim tempore interiecto, quæ in mentem venerant, abeunt, & noua ſuccedunt; Erit ergo vir huiuſmodi ad muſicam, & ad Poeticam aptus, & qui ex improuiſo canere poſſit, nec mala ex tempore facere carmina, quæque dum audiuntur placeant magis, quam dum leguntur; Ad artem dialecticam etiam aptiſſius, erit vir huiuſmodi, nam ſubtiliſſimis, et quam plurimis argumentis, ſuam exponet, ac efficaciſſime perſuadere tentabit opinionem; & cum illi non aſſentient homines indignabitur, ac maledicet eiſdem.

Inutilis eſt huiuſmodi temperatura, ad ſcientiæ legalis partem, quæ in legendo, vel contemplando verſatur; multa enim memoria eget legum interpres, hic verò paucam habet, nam ad aerem refertur.

At in actione, vt in auocatione, & defenſione cauſarum promptus, alacer, & ſubtilis erit admodum, vt ad cauſarum patrocinium apprime natus eſſe videatur, ad eamque præcipuè partem productus, quæ in Mathematicis mechanica dicitur; vt quæ in eleuatione ponderum, vel in machinarum inuentione occupata eſt facultas.

In actionibus autem, & operationibus ciuilibus, tali præditus temperamento vehemens, acer, & mordax erit; & alienorum etiam raptor, calidi enim eſt attrahere, & idem profuſor, & diſſipator; affirmator eorum etiam, quæ non nouerit, vel cum Iuramento; & qui doleat cum ipſi fides non adhibetur, loquax mirificus, & parum quandoque ſibi conſiſtens, leuique de cauſa qui frangere fidem ſciat; contentionum, amator, ambitioſus, animoſus multa cupiens, & capiens, neque lingua, neque pede, neque manu ſatis quietus, ſed promptus, celerque anticipator eorum quæ ab alijs dici meditantur, non enim poteſt expectare, cum ſit impatiens, & alios audire quoque. Idem etiam arrogans, & audax eſt, curioſuſque & alienorum nimis ſedulus inquiſitor, & inſpector.

Ex hoc itaque principio repetito, quod homo temperamenti humidi vt duo, & calidi vt vnum, circa partes principales; qui loco, cibo, & exercitio, ſeu magiſterio tali vtetur, quod aerem aeriſque ſubſtantiam repreſentet, ille primum circa corpus erit

 talis,

talis, qualem facere ſolet ſanguis purus, & ad naturalem, & proprium aeris ſtatum accedens, caput igitur potius magnum erit quam paruum; quoniam humidum facile dilatatur, capilli ſubaurei, & ad nigrorem accedentes, non quidem omnino criſpi, quoniam calor remiſſus eſt, ſed neque omnino plani, hoc enim eſt pituitæ; qui neque craſſi, ſed molles, quod illud melancholiæ, ac terræ, hoc vero eſt aeris, & ſanguinis, frons rotunda potius quam quadrata, hæc enim Leonis eſt, & magnanimi viri, at rotunda fœminilis, oculi potius craſſi, & magni, quam parui abundat enim humor, & ideo facies tota carnoſa, plana, roſea, renidens, naſus rectus eleuatus, craſſa labia; id enim eſt effectus ſuper abundantis humoris.

Os potius paruum, & fœminile, quam magnum, quoniam calor non eſt tantus, quantus in fortibus viris exiſtit, quorum os eſt latum, collum craſſum, & carnoſum pectus ex eadem cauſa, & molle, neque pilis abundans, quoniam calor remiſſus eſt, & fuligo quæ materia eſt pilorum non multa; Dentes parui albi, & tota oſſium natura ſubtilior, quam in alijs temperamentis, vbi calor, & ſiccitas ſuperant. Mentum, ac maxillæ non magnæ rotundæ, nam ad muliebre inclinatur potius, quam ad virile temperamentum; Quare et coxæ, et ſuræ ſunt carne plenæ, & manus, ac pedes carnoſi, parui pro reliqui corporis proportione; qui facile ægrotent, facileque etiam ſanentur; qui diſtillationibus facile impetantur, ſcabiem, et phlegmonas plerumque patiantur, febribus ephemeris, et ſynochis, et a ſanguine prouenientibus ſubiecti. Venter prominens, pinguis, flatibus obnoxius; Teſtes mediocres multum ſeminis generantes, quamuis homo tali temperie præditus non admodum ſit veneri deditus, et minimum damni ex Venere ſentiat, ſi cum alijs conferatur, qui diuerſæ ſunt complexionis.

Quale igitur ſit ſecundum corpus homo, qui tale ſortitus eſt temperamentum ex his patet, et præſertim ſi illud ipſum ſpectemus in adulta iuuentute, in climate ſexto, qui cibum potumque, motum, et quietem, et aerem inſpirandum habeat ad hoc temperamentum conformem, ac conuenientem; bene viuet hic homo, nam ſimile ſimili conſeruatur, et gaudet, ad propriæ autem temperiei conſeruationem apprimè conducunt animi accidentia, ſi talia ſint qualia requirit hæc naturalis conſtitutio, quæ ſi ab externis, rebus (quas Medici non naturales appellant,) alterabitur, etiam animi propenſiones alterabit, et habitus aliquando

do penè obliterabit; aut ſaltem turbabit quod facile fiet ob aeris naturam.

At de corpore ſatis, ad animam tranſeuntes, quæ propria ſunt habentis animam ſymptomata proſequamur; Animæ humanæ tres ſunt ex Ariſtotele potentiæ, vegetatiua quæ circa nutritionem, et generationem verſatur, cuius eſt principium materiale hepar, a quo generatur ſanguinea maſſa; Hanc robuſtam eſſe, et bene temperatam docet color cutis, qui ſanguinem refert; At naturam ſanguinis hepar, quod illius faber eſt, oſtendit; quod calidum, et humidum viſcus, cum magnum ſit, et multum ſanguinem facit; quare et multum ſemen, vnde neque in eiuſdem effuſione contingit hominem valdè laxari, et pati, et præſertim ſi diu tali ſit vſus exercitio, et crebro veneri det operam, & cum huius virtutis proprium ſit augere animal, homo qui talem ſortitur temperiem magnus, potius quam paruus erit, dilatatur enim humor calori iunctus; Hic tamen cum ad ſenectutem peruenient incuruabitur, & roſeus color abibit, & in eius locum ſuccedent pallor, & rugæ.

Senſitiua eſt altera animæ potencia; cuius ſenſus interni ſunt tres, externi, (de quibus mox dicetur) quinque, viſus, auditus, odoratus, guſtus, & tactus, qui vel ſecundum figuram, & diſpoſitionem materiæ organa componentis conſiderari poſſunt, vel ſecundum eorundem potentiam, ac formam; & modum per quem ad actum ſecundum, & operationem naturalem veniunt, nam omnes homines habent oculos, ſed non eodem modo figuratos, nam alijs parui, alijs magni, mediocreſque exiſtunt, albi, nigri, pallidi, lucidi, liuidi, obſcuri, mæſti, torui, luſci, alio, & alio modo affecti, & cum potentia viſiua in omnibus ſit, non tamen vis eſt æqualis, & eodem modo ad energiam venit, nam alij minima quæque vident, alij nequaquam, hic eminus aſpectat, & diſtinguit, ille nihil tuetur, cum tamen minima, quæque cominus videat; hæc differentia modorum diuerſas facit ſpecies videndi, & quod tuus videndi modus non eſt meus; naſcitur autem differentia hæc potentiarum a materia, & conformatione, qualitate, & quantitate organi; Qui ergo nactus eſt temperamentum humidum, & calidum, cum probabiliter oculos grandes habeat, quare & exertos, videt quidem, ſed facile ab externo læditur aere, & ſubalbidi ſunt oculi, & aliquando ſubturbidi, bouium oculos referentes, & hac de cauſa forte Homerus vocat Iunonem, quæ aer eſt, habere oculos bouis; At ſi dixeris bouem

non

nou eſſe temperamenti humidi, & calidi, feroces enim, & vehementes ſunt Tauri. *Reſp.* primum me de exectis loqui bobus, non autem de tauris, & boues execti, & caſtrati remiſſum omnino habent calorem; Amplius quid vetat, animal idem ſecundum partes aliquas eſſe calidum, & humidum, at ſecundum alias eſſe ſiccum, & frigidum? In animali ſunt quattuor humores, quorum quoniam alij ſunt calidi, alij frigidi, ſicci, & humidi, factum eſt, vt quædam membra eiuſdem animalis ſint alijs calidiora, aut ſicciora, ſecundum quod hoc, vel illo participant magis humore, ſic pulmonis caro dicitur renibus calidior, quoniam bilioſo ſanguine nutritur magis; & cerebrum frigidius corde, & lien ſiccior; At denominatio temperamenti fit à toto corpore, & ab eo qui prævalet in eiuſdem conſtitutione humore; vel à partibus principalibus corde, cerebro, hepate, quin etiam teſtibus, nam & ipſi ad corporis formãdas propenſiones, & mores concurrunt, cuius rei inditium eſt, quod eunuchus à ſemetipſo antequam caſtraretur, & ab alijs non exectis adeo differt, vt mas a fœmina, non magis diſtinguatur; ſurdaſtri etiam ſunt homines huiuſmodi;& odoratum habent diminutum; exactus enim auditus, & odoratus in ſicco poſiti ſunt, cuius ſignum eſt, quod qui prope mortem exiſtentes conuulſione ſicca laborant, exſiccatumque cerebrum habent a calore febrili, ijdem promptiſſime, ac perfectiſſimè audiunt; guſtus etiam penè idem patitur; In tactu excellunt, magis molem enim habent carnem, niſi nimia pinguedo hunc etiam propter multum humorem haberet; item quoniam ambundat humidum hinc fit vt promptè in ſomnum labantur, & longo ſomn vtantur, & propter ſomni profunditatem, non videant inſomnia multa, aut ſaltem non recordentur eorum; ſic enim contingit nos minus meminiſſe ſomniorum, quæ videmus, in prima quiete, quam in ſomno matutino, quoniam hic longè tenuior eſt illo.

Interni ſenſus tres ſunt, ille quem communem vocant, eſt exteriorum centrum, qui pariter naturam eandem ſequitur, non enim exacte, ac diſtinctè recipit; ſed vt aer facile quidem omnes colorum admitt t emphaſes, odorum exhalationes, ac ſonorum motus, nullas tamen retinet, ita huic ſenſui communi, ſiue interiori potentiæ accidit, vt facillimè quidem impreſſiones ſuſcipiat, confuse tamen, quas deinde non retineat, memoria autem horum labilis eſt, & quæ promptè ſuſcepit, eadem etiam promptitudine deſerit; & propter hoc imaginatio etiam, cuius

ratio

ratio in calore moderato poſita eſt, cuiuſque opus eſt ſuſceptas imagines continugere,& ſeparare non omni quaque perfecta eſt, ſuperabundans enim & prædominans humor calorem retundit, qui non acriter,adeo vt res ipſa exigeret, diſtinguit, hinc accidit vt homines huiuſmodi, quorum imaginatiua potentia ſimilis eſt aeri vaporoſo, ac nebuloſo confuſe, & obſcurè intelligant; & diſtinguant; & plerumque neque audiunt quid dicatur, & audiuiſſe, atque intellexiſſe credunt, quæ neque dicta, neque cogitata fuere; eandem etiam patitur diſpoſitionem appetitiua potentia; acriter enim iraſci, & vehementer appetere caloris ſicci potius, quam humidi ſunt effectus, quare & ignem vocant amorem, & iram ardentem dicunt; ignis autem & præcipuè qui apud nos eſt, exceſſus caloris,& ſiccitatis vocatur, hos autem affectus retundit humor, ac remittit.

Qualia autem ſunt organa quæ intellectui ſeruiunt, etiam tales ſunt intellectus operationes, ſiquidem intelligentem oportet ſpeculari phantaſmata, hæc pro natura ſenſuum iudicamur.

De Diſpoſitionibus, & proprietatibus temperamenti, humidi, & calidi. Cap. XXXV.

AT iam tempus eſt, vt diſpoſitiones, & propenſiones naturales, quæ hoc ſequuntur temperamentum enumeremus; quæ niſi corrigantur, & habitum ſuſceperint, & ſecundum illud operationes fiant, nos tales dici faciunt, quales autem ſunt operationes, talis etiam vita, ac fortuna noſtra plerumque eſt; Id enim verum eſt, quod aiunt *vnum quemque ſuæ fortunæ fabrum eſſe*; Habent autem latitudinem propenſiones naturales huiuſmodi, & magis, & minus ad actum ſecundum accedunt, quare in primo, et ſecundo, et tertio gradu poni dicuntur. Primus gradus diſpoſitionis ille eſt, qui magnopere ab habitu, atque actu ſecundo remotus eſt et qui multo labore, tempore, et exercitio eget; vt ſi diſpoſitio ad Muſicam in aliquibus exiſtat, (omnes quidem fient muſici,) at non eodem tempore, neque eadem promptitudine; ſed qui diſpoſitionem habet in primo gradu difficilius habitum recipiet; et tardius diſcet, qui in ſecundo gradu magis paratus erit; at extremitas tertij gradus, penè habitus eſt, et facile docetur, et aptiſſimè canet: Habent autem hi gradus, et ipſi latitudinem quandam, quæ principio, medio, et fine determinatur.

Calidi, et humidi temperamenti, ita tamen vt humidum ſit amplius calido, ſunt aer, ſanguis, qui humor eſt ſimplex caro, hepar, et pinguedo, et adoleſcentia ſeu pueritia. Et fœminæ magis hoc temperamentum ſortitæ ſunt, quam viri, qui ſecundum totum corpus calidiores fœminis ſunt, et ſicciores. Loquaces igitur ſunt homines huiuſmodi, calor enim, et humor vapores generat qui ſpiritibus iuncti facilè in omne ſpeciem eos conuertunt, atque huius rei ſignum eſt, quod aues, ceu luſiniæ, hirundines, et pleræque aliæ aues; ineunte vere, quæ tempeſtas humida eſt, et calida continenter cantant, et pueri inter alios loquaciſſimi ſunt, et mulierculæ quarum temperies calida eſt, humidaque, hac eadem de cauſa creduli ſunt, et ad ſuperſtitiones parati, et adulatores quoniam, loquaces ſunt, et quibus facile adulationes placent, quoniam humidi ſunt, eorumq; mens non exactè diſcernit; *quid diſtent æra lupinis*; ſibi etiam plus iuſto placent, quoniam humidi ſunt; Humidi enim partes inter ſe cohærent, et nullo medio iunguntur; amplius amoris ratio in calido, et humido poſita eſt, quo fit vt pueri, atque adoleſcentes propter calorem prompti ſint ad amandum; At propter humidum, quos amant facile etiam deſerunt, inſtabiles enim ſunt et quod petebant ſpernunt, repetuntque quod nuper ommiſerunt; hac ergo ratione amatorij, atque amicabiles ſunt, quoniam humidi, et calidi; ſi quidem qui frigidi ſunt, et ſicci, vt melancholici, neque ſe ipſos neque alios amant. Amplificatores rerum ſuarum, quoniam loquaces, et ſeipſos plus nimio amantes, quos amamus autem vt ait Lucretius ſemper præoculis habemus, et ſi abſunt illorum tamen ſimulachra præſto ſunt; hac ergo ratione rerum ſuarum amplificatores ſunt, et alienarum depreſſores nimij, quoniam ſe plus nimio amant; ſunt etiam ex his qui facilè, et libenter alios tangant, amplexentur, et contrectent, ſunt enim humidi, cujus proprium eſt, quæ tangit immediate contingere; quod ſiccis non euenit, vt docetur ſecundo de anima, et propter hanc ſuam humidam conſtitutionem, nonnulli ad arietum naturam, et veruecum eos referunt; nam et hi naturaliter ſunt fetidi, et ſordidi quoniam abundat humidum: Prompti ſunt ad auxilia ferenda ijs, à quibus inuocantur, et ad conſilia danda, quoniam facilè mouentur, externaſque capiunt impreſſiones, ſunt enim humidi, et propter hanc eandem cauſam quoniam humidi, et calidi ſunt, ideo etiam benefici, et bene ſperantes, et læti, et molles aditus habent, non illibenter

ter audiunt, & admittunt alios, & natura placidi, & pacifici, & dulces ſunt, nam oleum, & butyrum referunt, & imagines operationum horum mixtorum in moribus eorum, qui hoc ſortiti ſunt temperamentum, apparent, & quoniam ſibi placent ideo laudari magnopere gaudent, quare, & ornamentis delectantur, ad fœminilem enim accedunt diſpoſitionem, quarum proprium eſt, cum iuuenes ſunt, vt mirifice ornare, & pulchras videri exoptent, quamuis facile, ſi remiſerint ſedulam curam, efficiantur, vt dictum eſt, ſordidi, nam humor calori iunctus facile corrumpitur, hinc ſordes corporis. Cicures, & domeſtici ſunt viri huiuſmodi, ſiquidem bene cum alijs conueniunt, apti etenim ſunt ad concedendum, & conſentiendum, molles enim ſunt, ſiquidem calidi, & magis humidi, humiditatis proprium eſt, vt alienas facile ſuſcipiat formas, & paſſiones, quod tale eſt cedit, neque agentis repellit actionem, & quoniam molles, & apti ad cedendum, ideo ſunt creduli, & qui facile perſuaderi ſinant; & ſi creduli ſunt, ergo acuti, & ſpeculatores non ſunt; quare, & ſuperſtitioſi, & præter rationem etiam, quæ timenda non ſunt, plerumque metuunt; Et quoniam humidi ſunt, & calidi, ideo parati ſunt ad perdendum, & diſſipandum proprias facultates, ſunt enim inconſiderati, & creduli, vt dictum eſt, eadem etiam cauſa eos facit diſſolutos; vino impenſe, & ſodalibus deditos, ſi quidem ex affectu viuentes, parum rationem audiunt, ſunt parati ad dandum, quare amantur, ſed amor hic non eſt verus virtutis amor; Homines tali complexione formati voluptatibus vt plurimum dediti ſunt, & laborem odio habent magnopere, quare iocis, luſibus, & ebrietate gaudent, fabulis narratiunculis, rebus nouis, vt materiam garrulitati habeant conuenientem; garruli enim natura ſunt, ceu vernę auiculæ, & quando creduli ſunt, & humidi ideo facile mouenturr, & ſeditionem agitant, & cum alijs feroces ſunt, ſoli timent, vt præ timore taceant, mobiles enim ſunt namque ventum referunt: Qui multus ſit, & multo impetu cum feratur, etiam duriſſimas quercus, & pinus proſternit, ſi paucus nihil robuſtas mouet arbores, eadem ratione dicendum homines huiuſmodi eſſe ſimiles Gallis, aut Germanis, quorum natura calida eſt, & humida, quæ ſi accendatur, & calorem concipiat, aerem æſtuoſum illum auſtrinum nobis repreſentat, quem ſæpe ſentimus in principio Menſis Auguſti, cum Sol cani iunctus Leonem occupat: manibus geſticulantur quoniam valde leues, igitur mobiles, & quoniam

N garru-

garruli, ideo etiam glorioſi, & iactabundi, & quando creduli ſunt, & raruum acuti ideo quæ dicunt falſa, ſibi vera eſſe perſuadent, & grandia ſe feciſſe, vidiſſe, & audiuiſſe narrant, teſteſque adducunt ignotos, & remotos, quo fit vt plerumque vani, & ridiculi iudicentur ab audientibus; Talem probabile eſt fuiſſe Daretem illum apud Virgilium, qui cum Entello pugnauit: Neque ab hoc diuerſa potuit eſſe Agathoclis, natura Geloniſque Tyrannorum, Siciliæ, neque forte Dion Siracuſanus cum iuuenis erat, ab hac complexione multum diſtabat. Videntur etiam ad illicitas, & turpes paſſiones propenſi, & qui muliebria pati poſſint, nam & muliebrem referunt temperiem, & lanugo mollis, & pauca, quæ in tempore pubertatis apparet, id ipſum ſignificat, cum mollis ſit, & paleæ, aut auri colorem præ ſe ferat, ad impudicos autem actus adeo propenſi ſunt, vt turpiores etiam ac deteſtabiles magis, non fugiant pollutiones, nimis enim facile perſuadentur, & nimium voluptatibus ſunt dediti: Habent hoc etiam vt voces quas dixerunt, eaſdemque iterum repetant, quoniam garruli ſunt, & rudes, atque acumine ingenij, & iudicio penè carrent, his ergo ſecreta nulla commitenda, neque indicendum eſt ſilentium, quoniam in lubrico nimis eſt eius lingua, cohiberi nequit, quare non male à quibuſdam linguaces vocantur; Et quoniam ingenioſi non ſunt, ſi quidem humidum excedit, neque iudicioſi, etenim ad cogitationes ſunt inepti, quoniam calidos diximus, & humidos, & aeri ſimiles; ideo ſcurrules artes, & adulatorias, & ludicras, bene exercebunt, & amabiles vocabuntur ſodales qui facile decipiantur, & non facile iraſcantur, & lenocinia, & artes alias ignobiles exercere non dedignabuntur, relatores, & relationibus gaudentes, meretricios, & viles quoſdam mores præſe ferentes; Quamuis enim æque ad bonos, & malos mores ſint diſpoſiti, promptius tamen ad vitia, & defectus inclinabunt, quæ tamen non facile propter illorum inſtabilem naturam in habitum conuertentur. Verbis omnia ſe facere poſſe, ſe ſcire præſumunt, nam garrulos, & vanos diximus, & glorioſos, ea propter plurima promittunt ſe facturos, & nihil faciunt, & cum redarguuntur rident, & redarguentes irrident; quapropter neque in honoris punctis, et minutijs ſunt exacti; et quamuis ſciant, aut ſuſpicentur, et fœminas, et filias ſuas non bene, atque honeſte viuere, non tamen ideo mæſti ſunt, aut valde turbantur, neque ſi ære alieno adſtricti ſint, et in carceres etiam trahuntur, valde dolent, aut triſtan-

ſtantur: Nam hæc quam poſſident temperies, has habet paſſiones, cum aeris humidioris, et verni naturam referat, ſunt etiam operatores, et facile, hæc, et illa deſiderant, et volunt, facile etiam eorum quæ optabant, obliuiſcuntur, et ea parui faciunt, ſiquidem puerorum diſpoſitiones, et inclinationes repræſentant; et hac eadem ratione prompti ſunt ad petendum, et pro ſe, et alijs, quæcumque in mentem venerint; ſed non valde durant, et reiecti iterum idem petunt, et quo magis petitio negatur, eò intenſius, atque efficatius rogant, orantque. Nulla igitur meliori ratione cum his agimus, ſi quando petitionem negare volumus, quam differendo, et modo impedimentum cauſando, modo ſpem aliquam dando; Cum enim inſtabiles ſint, et vani, non diu durare poſſunt, et vt dicebat Horatius. *Idem eadem nequeunt horam durare probantes*, Merito igitur petulantes vocari poſſunt, et vox hæc, talis temperamenti propria eſſe videtur, et mutationes omnes prompte capiunt, eodemque tempore rident, lugent placantur, et iraſcuntur, vt enim dictum eſt puerilem, et fœmineam omniaque referunt naturam, Quare et roſeam habent carnem, et caput craſſiunculum, et facies ad rotunditatem accedit, et oculi ſunt humidi, et non nihil ridentes, ſiue hi ares, et quoniam ſanguis ſubtilis præſto eſt, et aeris naturam præſentant, pudore etiam ſuffunduntur, facile, cum pueri, atque adoleſcentes ſunt, non tamen ideo petulantiam, et procacitatem exuunt; quoniam de honore atque exiſtimatione bona parum ſolliciti ſunt; Hæc enim ob vanitatem, et inſtabilitatem aeris propriam minimi faciunt. Videntur ijdem plurimum prompti ad ſalutandum, quod fit quoniam ſunt amatorij, qui facile garrire volunt, et ſodales nouos facile quærunt; et cum de vero, et ſolido honore parum ſolliciti, ſint, vanum affectant, et prærapiunt ſodalitatum amatores, compotatores, otij ſectatores, laborum hoſtes eximij, ſpe ſemper pleni, de alijs aliorumque fauore plurima ſibi promittentes, quoniam, vt diximus, vani ſunt, et mutabiles; qui non vocati poſſunt, ac volunt alij conſilium dare, opem autem, et auxilium nolunt, neque volentes ſciunt, apti igitur ſunt ad ſuggerendum, et corrumpendum, pueros, et fœminas, ſi qui illorum dictis fidem adhibuerint, verſatiles enim propter aeris naturam ſunt, et propter idem vagabundi, et qui facile loca, et ſodales mutent: homines vulgares, nam et garruli ſint, et vino, et veneri dediti, nam voluptuoſi, et laborum neſcij. Poſſunt autem longam vitam

tam diuturnamque viuere, ſi modo ſalubrem, et conuenientem ſibi ſuoque temperamento inſtituerint dietam: ſed nimium voluptatibus, ac ſodalitijs dediti, facile errores committunt, atque in plurimos nati ſunt morbos cadere, plurima autem illis in eſt ſcabies, ad huius enim morbi genera propenſi ſunt, præſertim in adoleſcentia; Quoniam autem in humido, et calido videtur poſita hominum vita, et præſertim pueritia, et adoleſcentia, ideo plurimi aut tale habent temperamentum, aut mores qui hoc ſequuntur, et ita facile ex habitu tales fiunt, quales ex temperamento pueri, et mulieres exiſtunt ſecundum naturam.

Cum enim in adoleſcentia, et puerili ætate vehementes has habeant diſpoſitiones, ac propenſiones, tum propter temperamentum naturale, tum propter ætatem quam agunt, niſi ab educatione, et bona inſtitutione emendentur, et tanquam vites colantur, palis ſuſtineantur, et palmites, ac rami ſuperflui amputentur, ſi naturam ducem ſequantur, et ex naturali propenſione operantur, ab operationibus iteratis introducuntur mores, ſecundum quos deinde homines tales eſſe dicuntur, et taliter vſque ad vitæ ſuæ terminum operantes, moribus ſuis plerumque ſortem ſimilem conſequuntur, atque illud eſt, quod dicebatur ſupra, homines ſuæ fortunæ ſibi fabros eſſe. *Adeo à teneris aſſueſcere multum eſt.*

Qua propter, non ideo ſi cui videmus tales adeſſe operationes, aut mores, illum ſubito dicemus eſſe humidi, et calidi temperamenti, mos enim hic v. g. garrulitatis, et vanitatis, poteſt in eſſe vel à cauſa externa, vt ab educatione, inſtitutione, ſodalibus, cum quibus vixerit, et quos à teneris annis non animaduertens imitatus eſt, à ſtudiorum etiam genere, et artium quibus quiſque addictus eſt, et exercet. Hinc veredarij qui continue cum equis, et mulis verſantur beſtiales, et immites nacti ſunt mores, et lanij, cum quotidie boues, et caſtratos ſecent, et interficiant crudeles exiſtunt, ſtudia enim in mores abeunt; cibus aer, et patria peculiares cuique mores ingerunt, ſic Virg. Aeneæ ſæuitiam oſtendere ſub perſona Didonis volens ait.

„ *Duris genuit te cantibus horrens.*

„ *Caucaſus hyrcanaque ad mouunt Vbera Tigres.*

Et paulo inferius. *Laomedonteæ, ſentis periuria gentis.* Docere volens, et patriam, et educationem, ſocios, ſodalitateſque, et in hoc præcipue temperamento, quod aereum eſt, maximam vim habere; A cauſa etiam interna mores, et operationes a naturali

turali temperamento auerſæ nobis ſe ſe offerunt, et mirabile quoddam apparet, virum calidæ, & humidæ temperaturæ eſſe melancholicum, vecordem, auarum, nullius valoris hominem iudicio, memoria ingenioque carentem; Id autem accidit, aut quoniam ex morbo, morbi neaque materia eſt factum, quod in delirantibus ſine febre, & cum riſu animaduertere licet; aut quando membra principalia, ceu cor, & cerebrum diuerſam à toto corpore nacti ſunt temperiem,. Quare non ex vna aut altera operatione iudicabimus hominem, neque enim vna hyrundo facit ver, neque quicumque bene agit, aut non male agit ſubito bonus eſt. Nam

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Sed neque quicumque talia habet ſigna in corpore, & talem habet temperiem, & talis ſubito dicendus eſt, etiam ſi omnia enumerata ſigna haberet; Nam ſolum prædicere poſſumus, (ſi omnia ſigna conuenire videbimus) hominem non tales habere mores, ſed tantum inclinationem, & diſpoſitionem ad tales habitus ſortitum eſſe, vt ideo ego hominem cuius pectus latum eſt, magna oſſa magnoſque lacertos, & pedes, & manus magnos, & caput mediocre, & bene formatum: Hunc non dicam robuſtum, & fortem, ſed aptum natura eſſe, ad habitum fortitudinis, & intrepiditatis conſequendum; Verum ſi hic ad oppoſitas actiones, per oppoſitam educationem, & ſodalitatem, & ad adductus fuerit timidus vilis, imbelis fiet.

Ad hoc igitur vt aliquid probabiliter de naturalibus, inclinationibus, & diſpoſitionibus non autem de moribus dicere poſſimus; Primum videre debemus, an omnia prædicta ſigna in toto adſint corpore, & ſi aliqua deſint, quænam ſint, principalia, aut minus prima. Secundo an adſint aliqua alia ſigna, oppoſitū indicantia, vt cū pectus ſit latum, manus magnæ robuſtæ, tamen pedes ſunt parui, & venter prominens; Nam oppoſita ſigna pro illorum naturam minuunt priora, quare & ſignificationem oppoſitorum. Tertio notandum eſt, an principalia membra, vt cor, & cerebrum diuerſam inter ſe, aut à toto nacta ſint temperiem, fieri enim poteſt, vt cordi calido, cerebrum iuſto frigidius opponatur; & à corde, & à cerebro diuerſum fuerit a principio generante factum corpus. Quarto ætas, ſtudia, morbi, & alia pleraque adeo naturalem temperiem mutare poſſunt, vt vix eam licet deprēdere, quamuis aboleri, & tolli penitus nequeat: Hac ratione fit vt non facile de moribus hominum iudicare poſſimus, & multo minus de fortuna.

De

De calida, & humida temperie ſuperiori oppoſita. Cap. XXXVI.

QVid probabiliter ſequatur hominis temperiem in qua humidum ſuperat calorem,& aerem refert quem menſe Maio, & in fine Aprilis ſentire ſolemus dictum eſt, item quomodo hinc nulla morum inferatur neceſſitas; nulla vitæ ſors, ſed tantum ad hos,vel illos habitus inclinatio; Totaque hæc doctrina in hoc fundatur, quod omnia orta naturam ſuorum principiorum ſequantur, & quod in mixtis à prædominante fiat denominatio, quod autem prædominium habet, vel id ſecundum molem, vel ſecundum virtutem, ſecundum molem in his quæ ſunt apud nos grauia elementa dominantur, terra ſane ſi proprio termino terminantur, aqua, ſi alieno nata ſunt finiri, at quamuis ſecundum molem dominari contingat, non tamen ſemper ſecundum virtutem etiam dominantur, nam ſecundum molem, & piper, & euphorbium terreſtria ſunt, & grauia, & proprio termino terminata, illorum tamen virtus ignea eſt, & multum caloris in ſe habent, ſed quæ ſecundum virtutem vocamus talia v. g. calida, aut frigida rurſus vel actu ſunt, vel potentia ea vocantur actu calida, quæ tactum calefaciunt, & ignem actu habere docentur, potentia vero calida, quæ calefacta calefaciunt, & mota mouent, non enim piper me, ſtomachumque calefaciet, niſi de potentia ſecunda, ad actum, & energiam à calore naturali deducatur,ſic cuidam anui non nocuit caſu captum venenum, quoniam ab eius calore naturali nimis debili non fuit deductum ad actum, ſed ſine læſione per inferna exiuit; ſic in extremo vitæ poſitis propter morbum, nihil mouent purgantiam medicamenta; quoniam debilitas caloris medicamentum non poteſt deducere ad actum, ita vt valeat deſtinatam operationem facere, ſi paulo robuſtior ſit calor, mouebit quidem, ad actumque exibit medicamentum, ſed quoniam penitus vincitur, & nihil agit, ſed patitur tantum, acciditque vt in alimentum tranſeat; neque purget, ſunt enim tria cibus, pharmacum, & venenum; Hoc tantum vincit, & ideo occidit, & tollit hominem. At cibus tantum vincitur, quare alit, & conſeruat. Catharticum inter vtrumque medium vincit, & vincitur à naturali calore. Primum vincitur quoniam ad energiam deducitur, & mouetur. Vincitur etiam quoniam eijcitur, &

foras

tras propellitur. Vincit autem quoniam corpus, & ventrem turbat humores, ac ſpiritus educit, & hominum debilitat; ſed hæc forte præter rem præſentem.

Nunc nobis de temperamento calido, & humido habendus eſt ſermo. Hoc ſuperiori quodammodo videtur opponi, vt cum chirotecham, quæ dextram manum operiebat, ſi inuertamus, non amplius dextræ, ſed ſiniſtræ accomodabitur, ſic contingit nunc ſanguineum, aut aereum eſſe temperamentum, in quo calor humorem ſuperat, ſed quoddam aliud eſſe, vt cum ſiccum ſuperat calorem id non eſt ignis, ſed terra à calore vehementi paſſa, ita nunc cum calor longe ſuperat humidum, adeſt tamen, neque expunctum eſt penitus, videtur potius aqua vehementer bulliens, & magnopere exurens quam aer. De hoc igitur temperamento pauca dicenda, quoniam ex ſuperioribus patet, nam ſi inuertantur temperamenta, & potentiæ, & diſpoſitiones efficiuntur inuerſæ, quæ illa ſequuntur.

Cuicunque igitur ſecundum totum corpus, inerit prædominium caloris, & humoris ſecundum virtutem, & ſic à corpore temperato ſimpliciter receſſerit, illi longe aliæ diſpoſitionis à ſuperioribus, (quamuis aliqualiter ſimiles videantur) inerunt; ex his ſecundum corpus, quædam tales erunt; multos capillos eoſque mediocriter craſſos, & criſpos, ſubnigros habebunt, caput magnum frons lata, cilia, ac ſupercilia nigra denſa, oculi vegeti mediocres, & magni potius, quam parui; viuidi, valde mobiles, caloris enim proprium eſt, vt ſit in motu continuo, nam ſemper ſit; genæ rotundæ, tota figura ad fuſcedinem tendens, barba nigra multa, facies in longum protenſa, virilis; naſus magnus in fine rotundus rubens; os latum magis, quam ſtrictum, labra rubra craſſa, dentes magni candidi, collum craſſum, oſſa mediocria, mentum acutum, aures exculptæ, vbi enim calor humorem excedit, & vtrique ſuper abundant, cum hic ſit ex quo partes corporis ſiunt; calor autem à quo contingit, & artus fieri magnos, & bene formari. Iure igitur diximus tales homines eſſe viriles, & apprime ad operationes maſculas diſpoſitos, & viuaces eſſe, et promptos. Idque tunc magnopere augebitur ſi cor calidum fuerit, et humidum, nam et pectus latum, & hirſutum fuerit, et carne muſculoſa plenum, ad fuſcedinem tendens, et ſi cerebrum conſenſerit, rubebit frons, et genæ, et totum corpus magnum, carnoſum, et muſculoſum apparebit, molliore tamen carne quam primo aſpectu iudicari poſſet; Cæterum

terum ſenſus in iuuenta quidem bene ſe habebunt, ſed proce-dente tempore, auditus hebeſcet, neque oculi bene ſuo fungentur officio, ſed peſſime omnium naſus, facile enim hoc temperamento præditi coriza capiuntur, hebetes demum ſiunt ſenſus omnes ab humido ſuperante, præter tactum, qui cum ob humiditatem naturalem, et non excrementitiam fuerit in carne, et cute molli, et ob calorem rara, facillime patietur, et obiecta propria percipiet: Memoria labilis, quæ tamen prompte capiat, imaginatio mobiliſſima, quæ ex vna in aliam tranſeat celerrimè imaginem; deinde præcedentium non recordetur, propter humidum enim prompta eſt ad ſuſcipienda omnia phantaſmatum genera, ſed propter caloris vehementiam ſtare loco nequit, quare neque intellectus bene poteſt ſuo fungi munere, cum prout oportebit, phantaſmata ſpeculari non poſſit, appetitus vterque vehementior, ira celer et promptiſſima, ſed propter multam humiditatem minimè diuturna, cupiditas etiam ſimilis, nam homines hi, quæ volunt vehementer volunt, et cito etiam à voluntate, et deſiderio ſuo deſiſtunt; Aqua bulliens, et vehementer calida continuo agitatur, multos vapores emittit; turbida fit calore ſicco concreta ſoluit, vt ſal gummi, reſinas pures lignaque arborumque ramos mollit, at à frigore ſicco coagulata, vt metalla, et ſaxa non ſoluit; ita cui dominatur hæc temperies, ſi non hæc, attamen analogica, et proportionata iſtis inerunt accidentia, exempli gratia terram refert in corpore noſtro melancholia, ergo et quæ ſunt terræ paſſiones, et affectus, iis ſimiles in corpore noſtro faciet melancholia, ſicca eſt terra grauis, et frigida, et difficile mobilis de proprio loco, et homo in quo prædominetur melancholia naturalis, non autem ex humorum aſſatione generata, durus erit, et ceruicoſus, et obſtinatus, et in ſermonibus ſuis grauis, non vanus non garrulus, ſed tacitu & ſui ipſius amator, non prodigus, ſed nec valde parcus, et acer rerum ſuarum conſeruator. Hoc enim frigoris opus eſt; robuſtus etiam ſecundum corpus, et ſecundum animam, qui de proprio loco, et de propria ſententia non facile mouebitur. Hac eadem itaque ratione calido, & humido temperamento præditum hominem aquam bullientem referre dicimus, et pituitam naturalem valde à calore ſicco paſſam; Quare et corpus, et animam continue agitabat præſertim in pueritia, et adoleſcentia loco ſtare neſciet, nunc hanc, nunc rem illam vehementer cupiens, et deſerens, ſimultatibus, rixis, contentionibus

gau-

gaudens, inconſtans, inſtabilis, nihil quod bonum ſit, aut frugi cogitans, multi enim vapores iugiter in caput feruntur, ſpiritusque turbant, affectus varios generant, quibus mens offuſcata, & oppreſſa, quid deceat, quid vtile ſit, & quid non, cognoſcere, & diſcernere nequit: Viuit enim homo hic ex affectu, & perturbatione; cuius proprium eſt naturalem mentis aciem perturbare, atque impedire ne poſſit cernere verum; quod in ira clare perſpicitur. Sic turbidum fit ingenium, & iudicium iniquum; & eorum quæ ſe ſe offerunt varium, ſic homo huiuſmodi recta conſilia non admittit, deliberata non ſequitur, conſiliarios irridet, & vix vt piſcator ictus reſpicit aliquando; Viros cordatos plerunque peruertit, & eos qui facile moueri ad iram, aut ad miſericordiam ſolent. Vt autem frigore concreta metalla, & ſaxa ebulliens aqua non ſoluit, ita homines vere ſapientes nihil ab horum verbis, & minis mouentur, ſed ſtant, *vt pelagi rupes magno veniente fragore.*

Nihilque magis contra horum vehementiam iuuat quam tempus, & moræ; ſic cauſas innectere morandi. Anna ſuadet Didoni, ſic illa cupiebat, vt Aeneas parum expectaret; vehementiſſimæ enim tempeſtates, & turbines cito deficiunt, ac ceſſant, & ſequitur deinde ſol clarus, & aeris tranquillitas.

Cæterum qualis ſit homo hic, & qualiter ſe habeat, in artibus in ſcientijs, & virtutibus, ac omni vita ciuili breuiter percurramus, ſi dixerimus prius, quod duplex eſt horum hominum genus, alterum quod feruentem aquam, & ſumme bullientem refert, alterum quod repræſentat naturam æſtuantis aeris, & feruentis qualem videmus de Menſe Auguſti aut ſupra tecta, aut ſupra terreas glebas feruere. Prioris generis homines contemplationibus, & ſcientijs non ſunt apti, inconſtantes enim ſunt nimis, & eorum mens, & ingenium vagatur, neque iudicant de iiſdem rebus eodem modo ſemper. Amplius, ex Ariſtotele primo de anima ſcientia dicit quietem, horum ſpiritus, & eſſentia in continuo exiſtit motu; ſcientes impermutabiles ſunt, iſti facile mutantur, nam bullienti aquæ ſimiles ſunt, quare aliquando elati, aliquando humiles apparent, modo magna omnia loquuntur, & volunt, modo parua affectant, & talem probabile eſt, fuiſſe Tigellum de quo Horatius, ille enim habebat ſæpe trecentos; ſæpe decem ſeruos, modo reges, atque tetrarchas, omnia magna loquens: Modo ſit illi menſa tripes. & concha ſalis puri, & toga quamuis craſſa contentus erat, in diſcurſibus,

& conſultationibus acutiſſimi, & quid ſit agendum facilè proſpi-ciunt; at propter inſtabilitatem non perficiunt, talem dicunt, fuiſſe quendam principem noſtri temporis, qui in conſultatio-nibus optimus, in actionibus peſſimus erat, & quod optimè con-ſultauerat, cum in rem præſentem veniret, adeo perturbaba-tur, vt ſemper deteriora vſurparet conſilia, ijs quæ prius pro-bauerat, omnino prætermiſſis, fortes igitur non ſunt homines hoc temperamento præditi, quoniã nimiũ mutabiles, ſed neque temperantes præſertim in venere, & vino quoniam calidi ſunt, & humidi, & quoniam tales, ſecundum animam liberales, aut potius prodigi ſunt, ita ſecundum corpus ſcabie plerumque affi-ciuntur, & phlegõnibus, et eriſipelatis impetuntur, inæquales ſunt, & minime ſibi conſtantes, quare aliquando iniurias non curant, aliquando vehementiſſime exardeſcunt, Zelotypi, non tamen ob amorem, nam mutabiles ſunt, ſed propter ſuperbiam, calor enim ignis ſpecies ſuperexiſtere alijs geſtit, ita vehemens amara, non tamen acerba, dulcia enim cum exuruntur ama-reſcunt, quod in melle, & ſaccharo exuſto clare appa-ret, cum itaque ira vacui ſunt, mitiſſimi, atque ſuauiſſimi viden-tur, naturam enim, vt diximus ſacchari repræſentat; Naturali-ter igitur placid, humani, miſericordes apparent, ſed minima etiam cum cauſa in oppoſitas feruntur affectiones; facetijs, luſi-bus, cantiunculis delectantur, neque modice his rebus dant ope-ram, cum vaga nimium, & inſtabilis ſit eorum imaginatio. Nati ad vtramque fortunam impotenter ferendam. plus nimio abie-cti in infortunijs, & calamitatibus, in ſecundis ſuperbi, crudeles, intolerabiles, faſtu pleni. Poſſunt autem planè inertes vocari, ad nullam enim artem certam, & præcipue mechanicam, hoc eſt manibus vtentem nati ſunt, artes enim hæ omnes, ſiue artificio-ſæ ſint, ſiue laborioſæ, aut etiam liberales ſtabilitatem quandam requirunt, quam illis ſuppeditat melancholia naturalis. Mili-tarem forte exercere poſſent, non quod ductores ordinum, aut Imperatores eſſe poſſint, ſed quod audaciſſimi cum alijs eſſe ſo-lent, quod pericula, vel non cognoſcant, vel non conſiderent, quamuis ſoli deinde timidi potius ſint, quam audaces, id enim proprium eſt flammæ, & ignis, qui ſi paucus ſit, facile à flami-næ quamuis paruo extinguitur, & agitatur, ſi vero magnus fue-rit, multis ſimul flamulis exiſtentibus, excreſcens, & ad auctus, iam non ſolum flatu, & vento, non extinguitur, ſed augetur, et continuo maior, atque maior efficitur.

Ve-

Verum ſi non aquam bollientem, ſed æſtuantem referet ætem propoſiti hominis temperamentum, quod tale eſt, vt pene ſit ſiccum, & igneum: Hic erit ſecundum corpus mediocris, capillos habebit nigros, criſpos duros quales Aegyptij, aut Poeni habent, frons non magna caput rotundum, mediocre, color ſubfuſcus, oculi nigri; mobiles, parui potius quam magni ſupercilia craſſa nigra, vt etiam barba, quæ dura eſt, & hirta, facies rotunda, os grande, labra ſubtilia, pectus latum piloſum, manus pedes magni pro corporis ſtatura, caro ſolida, dura vehemens, animi ſenſus mediocriter in iuuentute acuti, at in ſenectute fatiſcunt, exuperante humido, propter additionem excrementitiam, imaginatio vehemens prompta, turbida; Memoria labilis, quæ celeriter recipiat, ſed ſpecies rerum non retineat; Intellectus acutus, ingenium volubile, & iudicium inſtabile; affectus enim in hoc homine potentiſſimi iudicium corrumpunt; vt pote qui amore, & odio, & cæteris paſſionibus ita ſubiectus ſit, vt ſemetipſum nuſquam cohibere poſſit; quare neque ad ſcientias contemplatiuas nati ſunt, homines iſti, & quamuis perceperint, & cupiant ſcire, attamen propter impatientiam nihil magni agent; In actionibus nimium vehementes, inconſiderati, mutabiles, rationum incapaces in affectu continuo poſiti, & tunc iuſtitiæ, & virtutis omnis immemores; ea tantum prompte dicentes, & facientes, quæ ipſis animoſitas ſuadet; qualem forte, aiunt poetæ, fuiſſe Achillem. Eadem etiam de cauſa, niſi neceſſitas illos vrgeat, nollent artibus dare operam vllis, neque vitam ſedendo, & quieſcendo facere poſſunt; Nam contentioſi ſunt homines huiuſmodi, & iurgiorum, ac contumeliarum amatores, qui libenter dicant, & ſine delectu, quæ illis in mentem veniunt, audireque deinceps non ſuſtineant aliorum dicta, nimium enim ſenſitiuus eſt illorum animus, & nimis acute iudicant aliorum errores, quare detractores, diſcordiarum ſeminatores, litigioſi, iniurioſi, & tales, vt nemo diu cum illis durare, & viuere poſſit, & tot de ijs quorum temperamentum eſt calidum, & humidum dicta ſint.

De Temperamento in quo humor frigiditatem ſuperat. Cap. XXXVII.

SI autem locum ſecundum poſt pituitam occupauerit ſanguis, humiditas frigiditatem ſuperabit conſtitueturque compoſitum inuerſo modo ab eo quod dictum eſt in Cap. 33. in hoc enim humor frigiditati prædominabitur, vt in altero frigiditas humorem ſuperabat; talem temperiem nacti ſunt Cucumeres, vulgò Anguriæ dicti, efficitur hoc temperamentum à prædominio humoris pituitoſi, cum ſubdominio ſanguinis, quem ſequitur bilis, & vltimo loco melancholia circa finem hyemis tempeſtas verna, & cibi humidiores hoc ipſum conſeruant, & fœminæ ſecundum naturam plerumque tales exiſtunt, videturque referre hoc temperamentum illud vaporis genus, quod ex aqua calefacta exoritur. Cuicumque igitur hoc temperamentum inerit, ſecundum corpus talem iudicabimus molles capillos habere, faciem carnoſam, ſubroſeam, os paruum, hiulcum, oſſa ſubtilia nuſquam apparentia, aures paruos, naſum, & mentem puſillum, barbam ſubflauam, manus, & pedes paruos fœminiles, carnoſos, pectus carne plenum, candidum, totum demum corpus carnoſius quam ferè deceat virum, vox inæqualis, eſt quandoque in fine rauca, motus promptus quidem, ſed qui facile remittitur, ſi homines hi corpus habeant molle, ergo parati ad ſuſcipiendas quaſcunque impreſſiones exiſtunt, facileque fœmineos mores referunt: æqualiter igitur, & ad riſum, & ad fletum inclinati ſunt, & cum omnibus facilè concordant, moles enim ſunt, vndè, & concubini quandoque erunt, nec morem gerere renuent; ſunt delicati, diſluentes, dormitabundi, effœminati, et elumbes, plerumque ficoſi. His ergo placet dilicioſè viuere, ornatè veſtire, laborem tanquam anguem, & rabidum Canem fugere, multiloqui etiam ſunt, & verboſi, hæc enim fœminarum paſſio eſt, et propter eandem cauſam nugaces, et mendaces, et quoniam humidi ſunt, ideo obliuioſi, oſcitabundi, et ocioſi, ſupra enim laborem odiſſe diximus; perſuaſibiles ſunt, humidi enim, et naturam quodammo puerilem referunt, facilè in gratiam redeunt cum aduerſarijs; nam humidi proprium eſt rebus hærere, et hac de cauſa ſociabiles ſunt, manent in plateis, et vicis, et conventibus hominum libentiſſime, ſiquidem ſociabiles valde, ceù, graculi, et oues, ſuperuacanea, et vana plerumque loquuntur, nec

nec tacere ſciunt; omnino variabiles, & inſtabiles, referunt enim naturam aquæ fluentis; ventoſi igitur, & ferè nullius ponderis, furaces, quidam Poeta vocabat huius generis homines, qui cum auaritia coniunctam habent incuriam conſeruandi patrimonium proprium, iſti enim cum plerunque, & illiberaliter dent quibus debent, inconſultè tamen ſuas res familiares curant. Amicis promptiſſimè obſequuntur, ſed ita vt illis ſæpiſſime ſint moleſti, etenim bis, ter, quater repulſi diſcedere nequeunt; quare ingratum obſequium eſt plerumque, quod inde prouenit. Ambitioſi non ſunt, neque honores plus iuſto ſectantur, imò nec quos deberent omnino curant, quapropter etiam ſi male audient quòad ſuas fœminas, ſi caudices, ac ſtipites vocentur, neque indignantur, neque pugnare volunt, ſe ipſos deſpiciunt quodammodo, cum grandiores natu fuerint, & iuuentutis flos abierit, vndè non credant amplius aptos eſſe qui amentur. Quo ad Deum, ac diuina inter ſuperſtitioſos, & plus nimio credulos, quam inter impios, & pertinaces recenſendi ſunt, at quinimò plura, quam oporteat credere, & quando, & quomodo non oportet plerumque ſibi perſuadent, varia de ſtrigibus, de Dæmonibus de faſcinationibus falſa, veris immiſcentia libenter effundentes. Ad ſcientias genus hoc hominum natum non eſt, nec orationibus, aut cæteris ſermocinalibus, ſiuè illæ liberales ſint, ſiue illiberales dare operam ſciunt; ſenſus obtuſi, intellectus obtuſior, phantaſia, & memoria craſſa, & difficulter retinens quæ recipit, horum effectuum cauſa præcipua eſt humiditas prædominans frigori iuncta. Quæ ſi igitur temperies humida, & frigida, in qua frigus humori prædominatur ex his manifeſtum eſt

De Temperamento frigido, & ſicco, eiuſdemque Proprietatibus. *Cap. XXXVIII.*

VArium ac difficile admodum eſt cognitu hoc temperamentum nam, & vulpes, & lepores, & aſinos ad huius temperamenti naturam accedere aiunt. Primum itaque quid ſit temperamentum frigidum, & ſiccum, quot eius gradus, quæ partes in corpore ad ipſum referantur dicamus, deinde proprietates eiuſdem proſequemur, eſt temperamentum frigidum, & ſiccum illud ipſum, quod ità affectum eſt, vt frigus ſiccitatem ſuperet; ſit ex prædominio pituitæ cum ſubdominio melancholiæ, in quo

tertium locum occupat bilis, vltimus eſt ſanguis; ſic ergo excedit frigus naturalem temperiem hominis. Hanc mixtionem refert Argilla aqua multa ſubacta; ſic in corpore ſunt tendines, & oſſa quædam teneriora, quæ appendices oſſium vocantur, quid igitur ſit, & ex quibus patet. Gradus tres ſunt, vltra quos non viuitur, in quarto conſtituta vix tantum caloris habent, vt ali poſſint, tales ſunt Angues, & Viperæ hyiemali tempore. In tertio gradu erunt & glires, & mures, & quædam animalcula, in quibus magis calor, & motus eluceſcit, ſecundum gradum oſtendunt conualeſcentes ex longis febribus, & morbis, nam & à frigore cito læduntur, & ſunt exſiccati, ad primum ſenium cum peruenerimus, primum gradum huius temperamenti naturaliter habebimus.

Conuerſum igitur huius temperamenti eſt terra; hæc enim plus ſicca eſt, quam frigida, illud plus frigidum quam ſiccum. Cuicunque igitur tale inerit temperamentum in primo, aut ſecundo gradu, quale naturaliter habent Arabes, & quidam Aethiopes, ille erit recaluaſter, habebit capillos planos, ſubnigros, frontem mediocrem, tuberculis repletam, faciem longam; maceram, pallidam, naſum male tornatum, oculos turpes, contractos, luſcioſos, barbam inæqualem, raram, aſininas maxillas, mentum longum, ſubtile, pectus ſtrictum, glabrum, ventrem tumidum, non caſtigatas clunes, carnem flacidam aſperam, rugoſam, manus, ac pedes macros, oblongos, male formatos, corpus totum nec pulchrum, nec benè tornatum, ſed ità vt partes ligatæ, & violenter compactæ ſimul videantur. Quicunque igitur ſecundum corpus talis erit, vt dictum eſt, argillam multa aqua ſubactam referet, quare hic tanquam gluten alijs libenter adhærebit, per ſe abiectus, & parum valens, contractus, hoc enim frigidi eſt, congregare, & vnire, quare, & curuus incedet, (frigus enim congregat, & conſtipat,) & depreſſus erit, & depilatus, male enim affectus eſt pilus, & quærulus; frigidus enim, deſperationeque plenus eſt, & certe in ſe nihil laudabilis habebit, cum ipſe idem plurimum à laudandis alijs diſtet, vix iuranti fidem habebit, at quod crediderit obſtinatè tuetur, hæc eſt Argillæ natura, ſi quam ſuſceperit figuram, illam diu ſeruat, dum reſiccatur, paratus eſt ad indignationem, ſed quamuis iraſcatur, cum præſens eſt qui illum offendit, tacet, abſcentem deinde lacerat, eique maledicit, frigus enim timorem incutiens tacere facit aduerſario præſente, eodem abſente ceſſat timor, deinde ſiccitas

citas

citas quæ ex ira incaluit iram prodit, hinc voces ſequuntur, ac minæ, contemplabilis igitur eſt vir talis, & neſcio quid Aſini in ipſo apparet. Auarus etiam eſt, etenim quod recepit Argilla aptè parata retinet promptè, & difficile deſerit. Quæcumque aliena accepit, reddere libenter non vult, ſua nullo modo dare intendit, anxius eſt, timidus enim, quoniam frigidus, ſed & naturaliter balbus eſſe ſolet qui huiuſmodi temperamento præditus eſt, vel teſte Hippocrate, cauſam afferunt quoniam frigus impedit motum. Qui de Dæmonibus tractarunt cacodæmones huiuſmodi corpore aſſumpto nobis apparere aiunt, quapropter, & timorem incutere, turpeſque videri quando etiam turpes ſunt homines iſti, turpiores quoque mulieres, ad inopiam, & ad labores propenſus eſt, qui hoc ſortitus eſt temperamentum, eiuſque artificium eſſe poſſet, ceu fabri lignarij, aut ferrarij, aut cauponis, aut olitoris aget mercede caballum. Aut etiam chiromantem, aut ſomniorum interpretem ſe venditabit, tardus in ſuis actionibus cogitabundus qui de eadem re multa conſilia, ſibique inuicem oppoſita contempletur, & peius ſemper ex omnibus eligat; talem quendam Principem dicit fuiſſe auctor Italicarum Hiſtoriarum, quare quamuis maxime conſideratus appareat alienarumque opinionum corrector ſolers; attamen in reſolutionibus, quæ calorem requirunt ſemper deteriora, & longe ab audacia, & magnanimitate remota aggredietur, de genere eorum qui dicunt pulchrum mori in armis, cum hoſtes abſunt, ſi ſe offerunt in pedibus omnem ſuam ſpem reponunt, & diffugiunt ad loca tuta, degener eſt, abiectus, naturaliterque occultus delator, & nocere inimicis deſiderans, ſed non audens, diſſimulator opis propriæ, & ſibi ſoli commodus, frigidus enim cum ſit contractus eſt, & ſine audacia, quare & doloſus, & promptus ad excuſationes, & ad mendacia, & quoniam frigidus eſt & auarus, & laboris aliquando impatiens, libenter fœnerabitur, & fraudabit eos, qui ſecum rem habebunt, furtis gaudens, furtiuiſq; delationibus, & relationibus ignobilis, & illiberalis paruis dolis gaudens, quoniam timet ſibi, Incantationibus, Faſcinationibus addictus, maledictis, et diris imprecationibus quos odit perſequens, ſuis proprijs domeſticis infenſus, ingratus, et inquietus, quas paſſiones abiectus animus, vilis, et timidus illi impingit, quibus de cauſis effectum eſt, vt et inuidus ſit, et iniuſtus, et ad homicidia propenſus, propterea quod timidus eſt; litteris delectabitur, et præcipuè in legibus poterit proficere, nam et na-

tura-

turaliter litigioſus erit,et ad id cogēte ipſum auaritia,et inuidia quas iniuſtitia faciet,'et quoniā litteris delectabitur, et lucubrationibus operam dabit,multa ſcribet,multas luſtrabit cauſas,ita enim & plura meditabitur,non ineptus etiam mathematicus ſed præcipue in mechanicis excellet, et ſi fœmina erit vix fieri poterit,quin ob auaritiā in impudicitiā non deflectat,quare et miſerabilis facile fiet atq; in morbum Gallicum incidet; Harum mulierum genus vanis artibus Necromantiæ,et Sortilegiorū vt plurimum deditum acre noctiuagum , et noctis obſcuræ ſolitudines amans,et multis vitijs obrutum. Sed ad virorū naturam iterum reuertentes dicamus, qui tale temperamentum ſortitus fuerit, paganum hominem referet, et qualem *Perſius* ſe ipſum pingit, et quoniam litteris imbutus erit Phyſicum quandoque, et diuinatorem ſe eſſe alijs perſuadere tentabit, propenſus erit ad Parochiales Eccleſias ruſticanas, et facile abiectorum, et vilium hominum curam ſumet, moribus ruſticanis, et ſaturninis, qui tantum ob auaritiam, aut timorem alijs ſeruiat, ſed ſemper ſolum ſuum commodum præ oculis habens, perplexus, Sophiſticus, irreſolutus, dubioſus enim, et multum cogitans propter frigiditatem, et ſiccitatem, et ità vt aliquando ſubſtupidus appareat, ſuſpicioſus prima apparentia, ſylueſter, et tetricus, et triſtis, quod frigidi, et ſicci proprium eſt facile in Zelotypiam cadens à quà mirifice torquebitur; talis igitur erit quo ad naturales inclinationes Cæterum in conſuetis, et proprijs actionibus ſigillatim quapropter exiſtat percuramus. Circa rem familiarem auarus, et puſillus, amicis obſequens, ſed ingratus, et beneficiorum immemor, non magnificus, non liberalis, niſi ſpe adducatur, vt maiora recipiat aliquando, nil donabit, honores magnos neque ambiet, nec curabit, et ſi offerantur, illum maxime percellent, nec ferre ſciet magnas iniurias eaſque impotenter ſuſtinebit, at propter timorem innatum vlciſci non audebit, niſi ſeipſum prius ſaluum putet, et niſi ſibi prouideat, corporis ſui circa victum, et veſtitum non exactam curam geret, et dummodo togam habeat; quæ defendere ipſum à frigore poſſit, quamuis craſſam, nihil vltra quæret, plus æquo aliquando curis grauibus addictus, et ſi vtilitatis illuxerit aliquid ſacra profanis miſcere non verebitur, et tot de hac temperie dicta ſint.

De

De Temperamento ſicco, & frigido, & eius proprietatibus. Cap. XXXIX.

QVando contigerit miſceri inter ſe elementa, ità vt terra non ſolum ſecundum molem, ſed etiam ſecundum virtutem prædominetur, ita vt actiones, & paſſiones naturam, & proprietates terræ referant, hominem hunc ſortitum fuiſſe temperamentum ſiccum, & frigidum dicemus, terreſtre ſcilicet, in quo terra prævalet, cuius conſtitutio eſt primo ſicca, deinde frigida, primum ſiccorum enim terra eſt, hanc melancholiæ ſimilem eſſe aiunt, oſſa, pili, cornua, vngues, dentes talia ſunt, item ſaxa, & plantæ etiam quam plurimæ, & multa foſſilium genera, tactus ex ſenſibus ad terram refertur, angues, & animalia exanguia terræ ſunt, vt Bubones, Lacertæ, ſtelliones, & prætereà inſecta, præcipuè non volantia, tarda, & quæ cortice teguntur. Refert hoc temperamentum ex metallis ferrum, & vulgo melancholici dici ſolent. Homines hac ratione fabricati differentias ſuſcipiunt, maxime à ſe ipſis diuerſas, non ſecus atque ferrum quando calefactum, aut non calefactum eſt, & dum calefit ſi rubrum, ſi candens fiat, temperatum, non temperatum, elaboratum, non elaboratum, aliter enim iudicaueris de ferro elaborato, & temperato, ac de crudo, & nondum ignem experto, quapropter putandum eſt ſecundum quod magis, & minus calorem contraxerit hoc temperamentum melius, & peius de eodem iudicandum ſit, vt enim terrarum ſpecies quamplures ſunt, ceu lemnia, meliteniſis, bolus Armenus, Argilla, & quæcunque, vel ad ollas, vel ad clibanos requiritur, ita & melancholiæ ſpecies plures ſunt, & vt *non omnis fert omnia tellus, ſed hic ſegetes illic veniunt fælicius Vuæ*, ita diuerſiſſimas operationes hoc nobis præbet temperamentum ſecundum quod magis, & minus a calore paſſus fuerit hic humor. Naturaliter autem, & ſecundum ſe dum contemplamur hoc, dicemus terram proprie referre, eamque quæ magis terræ ſapit naturam, hoc eſt magis ſimplex eſt. Huius itaque capilli erunt nigri, craſsi, recti, frons parua, rugoſa, aſpera, turpis, aures magnæ, oculi parui, deiecti, quales ferè ſunt mortuorum, obſcuri, ſupercilia nigra, craſſa, rara, iuncta, naſus magnus, acutus, nares paruæ, os turpe hians, dentes ſeſquipedales, nigri, mentum magnum barba plerumque nudum, aut indecenter veſtitum, quæ rara erit craſſa, nigra, in axillæ colore ſqualido, carne pauca veſtitæ, facies tota oſſea, caput, ac vultus animus in ſpeciem pauentis, & cogitantis compoſitus,

humeri compacti, ſtricti, pectus ſtrictum, glabrum ſine pilis, collum longum turpe, ceruix pilis nuda, dorſum ad gibbum vergens, brachia carne aſpera, pauca dura veſtita, oſſa magna, manus, & pedes, horumque digiti longi, macri, oſſei, motus tardus, vox grauis, obſcura, impedita. Refert hoc temperamentum tempeſtatem autumnalem, & ſenectutem illam, quam primam vocant Medici. Cuicunque igitur tale inerit temperamentum nempe terram puram referens, in qua ſiccitas frigiditatem ſuperat, cui primo ineſt terminari proprio termino, ille habebit prædominium melancholiæ, quam ſequetur pituita, & hanc excipiet aliquando ſanguis, vt in iuuentute, aliquando flaua bilis, vt in ætate conſiſtenti; Hic ergo naturaliter ab alijs abhorrebit, terra enim ſicca eſt, & proprio termino terminata, alijs non facile adhæret. Abiectus erit, & vilis, terra enim omnibus ſubijciuntur, & ob hoc à quamplurimis abominabilis iudicabitur.

Oderunt etenim hilarem triſtes, triſtemque iocoſi.

Abſtractus erit, nam ab alijs ſeparatus, acerbus, hic enim effectus eſt ſicci cum pauco humido iuncti. Namque ſaporem, quem acerbum, vt in vuis immaturis, & ſtipticum, quem in ſorbis percipimus, & acidum, quem ſentimus in ſucco limoniorum, Medici dicunt eſſe opus terræ, ſaporeſque hos à ſicco, & frigido fuiſſe fabricatos, & quoniam terrę proprium eſt quieſcere, in ſuis opinionibus ſtabilis erit, in ſuis negocijs, & ſtudijs aſſiduus, ſibi plurimum applaudens, alijs aduerſarius, agreſtibus, ruſticaniſq; moribus præditus, qualis Aſinus nullam aliorum curam gerens, aut rationem habens, qui facile ad Aſtrologiam, ad Aritmeticam, ad Mathematicamque, atque omnes eas ſcientias, quæ contemplatione ſola, & ſolitudine gaudent, inclinatus erit, vt dictum eſt, & enim ſiccum ab alijs ſe iungitur; auarus erit, timidus enim, quoniam frigidus, quæſitorum anxius cuſtos, terræ enim proprium eſt, & ſicci quod recepit diù retinere, balbum dicit Hipp. ratio eſt, quoniam frigidus, & ſiccus, parum caloris habens difficile mouet mobile; lingua difficulter mota imperfectè loquitur, hinc balbuties; crudelis, viliſque quoniam timidus, Cacodæmonis quodammodo naturam referens, aut carnificis, aut vulturis, qui ex alieno malo ſibi bonum quærit, in actionibus ſuis cautus quoniam timidus, clandeſtinus, obſcurus, opaca enim terra eſt, cogitabundus, ſiquidem frigidus; damnator actionum alienarum, nam ad cogitandum paratus, & conſideratus eſt, degener quoniam timidus, & detractor inuidus, ac difficilis, quique libenter ſua bona abſcondat, & diſſimulet, atque ideo

do-

doloſus, & nemini pariter fidens, occultis ſcientijs valdè gaudebit, incantationibus magicis addictus, mirificè curioſus; aptiſſimus ad cudendos falſos nummos, omniumq; rerum falſificator, aſtutus enim, & cogitabundus, ad fœnerandum paratiſſimus, auarus enim; melitis verbis inſitam maliciam operiens, ceu terra quæ viridi herba ſqualorem tegit, fucatus etiam eſt, quoniam falſus, fur ſubtilis, quoniam cautus, & auarus, aptus qui Heremitas, & viros probos imitetur, ipſe per ſe ipſum ignobilis, & importunus impoſtor, inclemens, quoniam crudelis,& trucu e tus, & terribilis cum inferioribus, humilis cum maioribus, & abiectus, beneficiorum immemor, ingratuſque, & iniquus, terra enim quam recepit, aquam in ſinum recondens ſuperficiem nobis offert ſiccam, tales dicunt eſſe Iudæos, quos nullis beneficijs delinire poteris, gens auara, inſidioſa, mercaturæ, fœnoribus, & commutationibus magnopere dedita, & quamuis tot malis premi videatur. Amore ſcientiarum tamen mirificè tenebitur, & curioſe, atque indefeſſe illas ſectabitur, ad Medicinam, & Mathematicam præcipue natus, quæ didicerit in pueritia excellenter memoria tenebit, quare in ſenectute ſcientijs, prouerbijs Apologis ſcatebit, & quoniam vt diximus vanis ſcientijs delectabitur, diuinationibuſque cuius vis generis magnopere.

Chyromantiæ, Hydromantiæ, Metopoſcopiæ, & ſimilibus vanitatibus credet, vel vt alio decipiat, ſe credere ſimulabit; naturaliter mæſtus erit, & moroſus, melancholicus enim, & frigidus, atque ab alijs longe remotus, & ob hoc neglectus, facile antè maiores, & eos quos veneratur obtumeſcens, vnde ſi quando amauerit mulierem, ei quid affectet narrare non audebit, vilis nimium, nimiumque timidus,& repulſam metuens, ſi quando autem pudorem depoſuerit, egregie impudens, ac perfricta fronte exiſtet; ſiccum enim quod ſemel ſuſcepit diù conſeruat, cum autem quietus ſit, & ſolitudinis amator, & timidus,& qui ab alijs negligi ſe credat ad monaſticam vitam inclinatus erit, aut ruri ſe abſcondet, aut inter ſcorta continuè ſe ſe occupabit, ſemper mæſtus, ſemper conqueritur de illis, & nunquam ab illis diſcedens; cauſa eſt quoniam ſiccum quam recepit impreſſionem, diutiſſime tenet; melancholicus autem omnis libidinoſus eſt, & quo magis ſeneſcit, eo magis in his delirat; accidit aliquando, & his eiſdem delectari vetitis naturaliter congreſſibus, & hac labe ità ſollicitari, vt vix apud ſe ſit; tunc autem, & ſoliuagum cernes tacitum moroſum, & quod dicebat Virg. incipiet effari, non in media voce deſiſtet, ſterilis, nam ſiccus eſt, & propter ſterilitatem,

tem, nec vxoris, ſi quam habuerit, vnquam Amator, cum naturaliter parum cum dominis conueniat, quod illi præcipue eueniet propter ſuſpicionem, maximè enim ſuſpicioſus, maximè etiam odio habet, quos illi nocere poſſe arbitratur, ſuſpicio autem propter timorem illi ineſt, vnde, & triſtitia, & cura, & querimonia exoritur; Ad veneficia natus, verſutuſque, vt Vulpes; timidus enim & ab alijs longe remotus exiſtit. Talis itaque erit ille, in cuius temperie terra non ſolum ſecundum molem, ſed etiam ſecundum virtutem prædominatur; Huius potentię cognitrices exactæ erunt, nempe viſus, & longe magis auditus, odoratus etiam, horum enim vnuſquiſque ab humore ſuuperfluo hebetatur; guſtus tamen medietatem quandam requirit, ac tactus non omnino ignobilis; Communis ſenſus excellens, phantaſia prompta, quæ per partes varias rapiatur, dum incaleſcit humor, memoria ſtabilis, concupiſcentia vehemens; Ira obſcuriſſima, ſed diuturna, qualem notant fuiſse Tiberium Imperatorem; Intellectus in ſpeculationibus acutiſſimus, in actionibus inualidus propter timorem, motus tardus, circa res familires tenax & auarus potius, quam liberalis, nemini dans, quare & a nemine capere volens, ne alicui dare cogatur; honorum non ſollicitus, neque cupidus, ſe ipſum aliquando plus iuſto deſpiciens, aliquando ſe efferens. Circa Deum, & Diuina inæqualis, ac inſtabilis ſecundum quod magis, aut minus incaleſcit humor, hic ergo eſt ſtatus, hæc melancholica conſtitutio, quæ cum ſe habeat ad colorem vt lignum ad ignem, ceu ignis aliquando ex lignis humorem, aliquando fumum, non nunquam flammam, prunam, carbonem, cinerem, res toto genere diuerſas elicit, ità tanquam Protheus, homo talem nactus temperiem in varia, ac valdè diſſimilia ſeſe vertit miracula rerum, ita vt nec ſemetipſum aliquando cognoſcat.

Materialia principia humani corporis proſecuti ſumus, quid poſſint animæ inſtrumenta ex his patet, habitus enim temperamentum corpori non dat, ſed tantum inclinationes ad certum potentiarum vſum. In manu liberi arbitrij poſitum eſt his potentijs vti, aut non; Malę exterminandæ ſunt, bonas tanquam fertiles herbas colere noſtrum erit, & vt ad perfectam frugem peruenientes optimarum actionum ſint inſtrumenta; & hæc de temperamentis dicta ſint, in quibus ſi quid erratum contingit, quod diuinis Eloquijs, Patrumque ſcitis contrarium ſit, totum id caſſum, irritum, ac nullũ ęſſe cenſeo, profiteor, & volo, & affero.

FINIS.

I N-

INDEX CAPITVM HVIVS LIBRI.

DE humanarum complex. differentijs. Cap. 1. car. 1.
De ratione procedendi, & ordine doctrinæ. 2. 2
Quid ſit homo quot eius partes. 3. 3
De partibus corporis humani. 4. 4
De primis quattuor humoribus. 5. 6
De corpore temperato ſimpliciter. 6. 8
De corpore intemperato. 7. 9
De præternaturalibus temperamentis. 8. 10
Qua ratione temperamentum totius, & partis cognoſcitur. 9. 10
Qua ratione temperies partium principalium cognoſcitur. 10. 12
De cerebr. hepatis & cordis qualitatibus. 11. 15
Quæ potentiæ animæ particularibus utantur membris. 12. 17
Quomodo ad temperamentum totius, & partium ſequitur diſpoſitio corporis humani. 13. 18
De corpore temperato, & eius qualitatibus. 14. 20
De temperamento calido. 15. 23
De temperamento in quo flaua bilis & ſanguis ſuperant. 16. 25
De tertio gradu caloris naſcentis ex aduſtione ſanguinis, & pituitæ unde porracea fit bilis. 17. 28
De temperamento frigido, & eius gradibus, & qualitatibus quæ unumquemque gradum ſequuntur. 18. 31
De gradibus temperamenti frigidi. 19. 34
De temperamento humido, & eius qualitatibus. 20. 36
De ſicco temperamento, & gradibus. 21. 40
De temperamento ab exceſſu naturalis melancholiæ oriente, & eiuſdem qualitatibus. 22. 41
De temperamento in quo ſiccitas ex aduſtione bilis flauæ, aut ſanguinis

nis præualet. 23. 46
De ſicco temperamento in quo pituitæ exuſta eſt, & primum de acri, ſubtili, & ſalſa. 24. 48
De temperamento ſicco ex pituita craſſa, & coriacea. 25. 53
De temperamento quod proprie dicitur melancholicum, & præter naturale, & eiuſdem paſſionibus. 26. 56
Melancholici temperamenti præter naturalis repetitio, & ſpecies eiuſdem. 27. 65
De cauſis variarum differentiarum, quæ in hoc temperamento melancholico præter naturali reperiuntur. 28. 69
De complicatis complexionibus, & primum de calido, & ſicco temperamento. 29. 73
De proprietatibus, & propenſionibus temperamenti calidi, & ſicci quo ad contemplationes, actiones, & artes. 30. 77
De temperamento ſicco, & calido, & eiuſdem proprietatibus. 31. 81
De ſignis, & proprietatibus partium principalium in quibus prædominatur ſiccitas, & calor. 32. 84
De temperamento frigido, & humido. 33. 86
De temperamento humido, & calido. 34. 89
De diſpoſitionibus, & proprietatibus temperamenti humidi, & calidi. 35. 95
De calida, & humida temperie ſuperiori oppoſita. 36. 102
De temperamento in quo humor frigiditatem ſuperare ſolet. 37. 108
De temperamento frigido, & ſicco, & eius proprietatibus. 38. 109
De temperamento ſicco, & frigido. 39. 113

INDEX

Eorum, quæ in libro de temperamentis habentur.

Numerus paginam, a principium, b medium, c finem notat.

A

Acerbitas morum ſit à ſicco pauca humiditate coniuncto. 114 b
Actiones generant mores. 20 a
Actio à præternaturali melancholia non habet cauſam finalem cur. 65 c
Actio alia ad actiuam, ad contemplatiuam, & alia ad artificioſam vitam refertur. 90 b
Actiones ſunt compoſiti ex anima, & corpore. 3 a
Actio, & paſſio inſunt compoſito per formam & melius, aut peius agere, vel pati per materiam. 43 a b
Actiones, quæ ſemper ab habitu, quæ non ſemper ab effectu ſiunt. 43 c
Actiones ventriculi fiunt per calidum, & humidum. 53 a
Achilles qualis in operando fuerit. 107 c
Adoleſcentes vegetum habent ſenſum communem. 78 b
Aduſtio humorum à quibus cauſis fiat. 60 c
Quæ aduruntur corrumpuntur, & in aliud mutantur. 38 a
Aduſta omnia cur ſint inæqualia. 29 a
Adoleſcentes cur laſciuiores. 33 a
Aer Venetus, & Ferrarienſis craſſior, & humidior. 52 a
Aer praualet in nubibus, in quem corrupta reſoluuntur. 58 c
Aer caliginoſus res, quam ſint, grandiores oſtendit. 70 a
Aer in fine Aprilis habet humidum ſuperans calorem. 102 a
Adulteri qui ſint, & dicuntur, & cur. 24 a
Affectus eſt vehemens animi motus ob bonum aut malum. 69 c
Agens, & mouens aliquid, aliquo agit, & mouet. 3 a
Agathocles, & Gelo Tiranni quales fuerint. 98 a

Ale-

Alexander magnus bene olebat. 11 b
Aleator quis dicatur. 29 c
Amans amatum ſemper præ oculis habet. 96 c
Amor ſtat in calido, & humido. 96 a
Amor ex muneribus non eſt verus virtutis amor. 97 b
Amans amati omnia cooperantur in bonum. 21 c
Amor, & ira ſunt actiones ignis. 95 a
Ambitio ſuadet detractionem cur. 47 c
Anima eſt principium corporis operationum. 2 a
Anima omnibus eadem ſpecie, in omnibus facit operationes ſpecie eaſdem, numero diuerſas. 2 b
Anima humana habet vigintiduas potentias. 3 a
Anima vegetatiua ſeptem. ibid.
Anima ſenſitiua decem determinatur. 3 b
Anima humana immortalis non differt ab alia. 4 c
Anima rationalis omnibus præeſt potentijs, & inclinationes corrigit auget, minuit, aut euellit. 5 a
Animæ corporis perfectio perficitur à vero, & bono, leditur à malo, & falſo. 7 c
Animæ vi corporis actus tres habet gradus. 17 c
Anima rationalis vtitur cerebro, in quo eſt tota cogitatio. 18 c
Anima differt ab alia ratione corporis, & materiæ. 19 b
Anima ſicca prudentiſſima, corpus ſiccum robuſtiſſimum. 29 c
Anima quot habeat potentias. 99 b
Anima ſicca ſapiens, humida ſtolida. 38 b
Anima vi caloris generat ſpiritus, qui dicuntur calor naturalis. 5 c
Animal ſi cum breuioris vitæ cur. 82 a
Animal ſecundum partes habet diuerſum temperamentum. 93 b
Animalia ſicca, & frigida, quæ ſint. 114 a
Animal caſtratum cur humidus ſiat. 13 b
Animal viuit, cum moueri, moritur, cum quieſcere incipit. 16 b
Animal inſtabile difficile ſuſtinet labores. 18 c
Anſer, quo ſit temperamento. 88 b
Anguria humida, & frigida. 108 a
Appetitus eſt iunctus iudicio, & Phantaſiæ. 85 a
Appetitus eſt potius actio caloris ſicci, quam humidi. 95 a
Appetitus concupiſcibilis in calido, & humido, iraſcibilis in calido, & ſicco. 3 b
Appetitus omnis in corde reſidet. 18 b
Appetitus, cum ſit motus, ſtat in calido. 18 c

Appe-

Appetentes res alienas, qui ſint. 24 b
Apprehenſio non eſt corporis actus. 78 c
Aptitudo eſt potentia terminabilis in omni ſuo actu. 38 b
Aqua præualet in his, quæ alieno termino terminantur. 9 a
Aqua dicitur rerum principium. 43 c
Aqua præualet mole in aqua vitæ, quoniam in illam reſoluitur. 58 b
Aqua maris mole eſt aqua, at virtute terra. 6 c
Aqua bulliens ſoluitur ſicco calore, non ſicco frigore, ſed fit concreta. 105 b
Arabes, & Aethiopes frigidi, & ſicci. 110 b
Argumenta probantia ſanguinem melancholicum calidum. 60 c
Ars omnis habilitatem requirit. 106 c
Aſſatio humorum fit in hepate. 15 a
Aſſata omnia ſicca ſunt. 59 b
Aſiat temperamentum quale ſit. 86 b
Delirans ſibi teſtes abſcidit, & deuoluit. 71 b
Auari erga ſe, & ſuos, qui ſint. 55 a
Arithmetici à ſocietate alienicur. 54 b
Auaritia in ſicco frigore ſita eſt. 67 b
Aues ineunte vere cur cantent. 37 c
Auditus aſſignatur aeri. 3 b
Audire eſt aerem implantatum moueri. 78 a

B

Bilis reſpondet elemento ignis, ſapore eſt aeris, colore purpurea, odore croci, & tactu calore primo pungenti non blando. 6 a
Bilis humor actiuus facit in homine, quod ignis in mixtis, 6 b
Bilis flaua, ex aduſtione naturali, qua fit, eſt colore crocea, ſapore amara, odore nidoroſa, tactu calidior. 25 c
Bilis flaua, ex aduſtione ſapit naturam terræ. 27 b
Bilis per aduſtionem fit amarior, & ſiccior. 46 b
Bilis naturalis prædominium quomodo cognoſcitur. 8 c
Bilis flaua iuuenili ætati, & igni reſpondet. 73 a
Bilis atra duplex. 40 c
Bilis atra in hominis temperie illam habet proportionem quam habet vox grauis in harmonia, & concentu. 41 b
Bilis atra naturalis quantitate peccans quas faciat in homine propenſiones. ibid.
Bilis atra tripliciter peccat in homine. ibid.
Bilis atra præter naturam quadruplex. ibid.

Bilis atra cum exceſſu, aut defectu coloris quæ. 66 a
Boues humidi, at non calidi. 94 a
Boues caſtrati frigidi, ſecundum volunta. ibid.

C

Cacodæmones frigidum, & ſiccum corpus amant. 111 a
Calidus ſuperbus, ambitioſus, & curioſus. 24 a
Calidi viri inclinationes. 44 b
Calidi, & ſicci temperamenti homines breuis vitæ. 82 a
Calidi, & ſicci à coitu valde læduntur cur. 76 c
Calor naturalis, vt calidus attrahis, vt in humido concoquit; vt in ſicco ſanguinem facit; calore, & frigore externo alimentum partitibus anectet. 36 c
Calida in primo, ſecundo, & tertio gradu quæ ſint. 9 a
Calor naturalis primum animæ inſtrumentum. 10 c
Calor cordis adeo intenſus, vt illum digitus vix poſſit perferre. 16 c
Calor principium, & inſtrumentum motus. 18 c
Calor vehemens conſumit humores. 28 a
Calor digerit, & concoquit, & ordinat. 58 b
Calor igneus agens in humidum terrenum primum nigredinem deinde albedinem producit. 28 c
Calor, & ſiccitas excedens, durum obſtinatum, & crudelem facit hominem, ſi in eius temperie præualebit. 29 c
Calor naturalis quomodo fiat igneus. 60 c
Calor ſecundum ſe in quo conſeruatur. 69 b
Calor per exceſſum, & deffectum à mediocritate recedit. 69 c
Calor congregat, & congregata diſgregat. 75 a
Calor, & ignis eſt in continuo motu, & fieri. 103 b
Calor cauſa reſolutionis. 28 b
Calor ad agendum, non ad patiendum diſponit. 29 c
Canes acutiſſimè odorant cur, & odor amiſſus, vt recuperetur. 84 c
Canities vnde, & qua de cauſa fiat. 28 c
Caput cur paruum in homine fiat. ibid.
Capilli ex quo fiant humore. & cur criſpi. 74 b
Carbo accenſus calidus, extinctus frigidus eſt. 60 b
Caro cordis craſſa eſt, vt diutius conceptum conſeruat calorem. 16 c
Caro, & cutis qualis talis eſt ſanguis. 10 c
Caro flacida hominem indicat debilem cur. 11 b
Cerebrum eſſentialiter affectum corrigitur, ſed non ſanatur. 71 a

Cerebrum calidum, & ſiccum, ut cognoſcatur, & quas faciat in homine inclinationes. 77 b
Cerebrum organum cognitionis, & motus localis. ibid.
Cerebrum quale talis ad cognoſcendum, & cogitandũ diſpoſitio. ibid.
Cerebrum ſiccum bonos facit ſenſus. 78 a
Cerebrum ſiccum, & calidum, ut cognoſcatur, & quas faciat in anima, & corpore diſpoſitiones. 84 b
Cerebrum organum motus, cogitationis, & appetitus. 83 b
Cerebrum ſiccum, & calidum quales faciat ſenſus. 84 c
Cerebrum quale tales eius operationes. 16 a
Cerebrum primum frigidorum, & ſuum eſſe in frigido habet. 12 b
Cerebrum ſpiritus cordis attemperat, & accomodat ad motum, & ſenſum. 15 c
Cerebrum frigidum, & humidum mouetur motu dilatationis, & conſtrictionis. 15 c 16 a
Cerebrum per ſuam dilationem, & conſtrictionem quid faciat. 16 a
Cerebrum bene temperatum, ut cognoſcatur. 16 c
Cerebrum frigidus. ut cognoſcatur. 16 a 33 b
Cerebrum calidus, ut cognoſcatur. 16 b
Cerebrum ſiccius, ut cognoſcatur. ibid.
Cerebrum humidus, ut cognoſcatur. ibid.
Cerebrum frigidum quas faciat in uiuente inclinationes, eo magis, ſi hepar, & cor frigidum ſit. 35 b
Cibus in corpore ſuperatur, ideo nutrit. 102 c
Cibus quomodo coquatur, & diſtribuatur per corpus. 14 a
Cibus quomodo annectatur partibus. 3 c
Collum longum ad phtiſim diſpoſitum indicat cur. 29 a
Caluities uti cerebrum ſiccius docet. 16 b 28 c
Capilli multi calorem in corpore docent cur. 32 a
Cauſa eadem quomodo diuerſos faciat effectus. 68 c
Cauſæ alterantes temperamentum naturale quot. ibid.
Cauſa formalis temperamenti melancolici. 69 a
Cognitio fit per ſenſum, & intellectum, 77 c
Cognitio appetitum, diſpoſitionem, & inclinationem inducit. 19 a
Cognitio temperamenti ad quam Philoſophiam ſpectet. 2 c
Cognitio temperamentorum utilis Medico omnibuſque alijs cur. 1 a
Cognitio quinque fit ſenſibus, quomodo, & quando. 17 c
Cognitio ſimilia, & diſſimilia coniungit, & determinatur frigido, & ſicco. 18 a
Color cutis indicat potentiam uegetatiuam. 89 c

Comatoſus ex ſtudio aſſiduo factus. 73 b
Compoſitum ſequitur naturam ſuorum principiorum. 102 a
Compoſitum vtitur anima, vt principio, quo agit, materia, & corpore, vt ſubiecto. 3 a
Compoſitum ex anima, & corpore aſſimilatur candelæ in lanterna exiſtenti quomodo. 5 b
Compoſitum dum corrumpitur in quod reſoluatur. 58 b
Cor in figura nucem. 16 a
Cor temperatum, vt cognoſcatur. 15 b
Cor frigidus, calidius, & ſiccius, vt cognoſcatur, & quas faciat inclinationes. 15 c
Cor primum calidiorum cuius ratio in calido eſt. 12 b
Cor primo generatur, & vltimo moritur, & eſt vitæ fons. 16 b
Cor facit ſanguinem arterioſum. 15 c
Cor ſiccũ, & calidũ, vt cognoſcatur, & quas facit inclinationes. 85 b
Concubini qui dicantur homines. 108 b
Conualeſcentes ex longa febre frigidi, & ſicci ſunt. 110 a
Concupiſcibilis potentia vtitur ſanguine. 18 c
Corpus conſtat ex partibus ſimilaribus, & diſſimilaribus, & hæ quæ ſunt, & quomodo componuntur. 4 c
Corpus fit ex actus oppoſitis, & potentia ſimilibus. 7 b
Corpus ſimilare nutritur craſſiori humorum parte. 7 ſ
Corpus organicum fit ex ſimilaribus. ibid.
Corpus per ſe à ſimili conſeruatur, & corrumpitur à contrario, per accidens autẽ corrumpitur à ſimili, & conſeruatur à contrario. ibid.
Corpus temperatum quod & quotuplex ſit. 7 c
Corpus humidum perfectiſſimum, cũ hoc alatur homo, & quomodo. 8 b
Corpus intemperatum quod, & quotuplex ſit. 9 b
Corpus humanum temperatum ſimpliciter vel intemperatum. 20 a
Corpus, & ſpiritus ex eadem materia fiunt. 18 c
Corpus temperamentum, vel ad iuſtitiam, vel ad pondus. 20 a
Corpus temperatum ad iuſtitiam quale ſit. ibid.
Corpus temperatum ad pondus cur non detur. ibid.
Corpus temperatum omnes operationes temperatas facit, vt ſanguinem venoſum, & arterioſum. 21 a
Corpus temperatum non ad totam vitam, ſed ad certum tempus datur cur. 29 b
Corpus breui tempore eundem ſeruat ſtatum. ibid.
Corpus optime temperatum quale ſit. ibid.
Craſſus qualis erat in paſſionibus animi. 34 a

Crudelitas vnde oriatur. 37 b
Cruor melancholicorum aquoſus non fibroſus. 58 c
Corruptio fit cum paſſiua prævalent actiuis. 60 a
Corpus ut componatur, & fiat. 8 b

D

Daretes varius in ſuis operationibus cur. 98 a
Dauid ſiccus, & calidus, ideo ſalaciſſimus, ſic etiam Salamon, & Ariſtoteles. 83 a
Diffinitio ſimilarium partium ſtat in proportione certa elementorum actiuorum, & paſſiuorum. 4 b
Delirantes cur ſint adeo robuſti. 29 b
Delirium ſequitur mentis perturbationem. 70 a
Delirium nullum continuum, niſi cum inflammatione ſepti tranſuerſi factum. 70 c
Delirium eſt motus deprauatus principis facultatis. 77 a
Delirium non eſt continuum, quia nec motus continuus. ibid.
Delirium ex auctione bilis atræ quos faciat effectus. 71 c
Delirantes cur robuſtiores. 72 a
Delirantes cur inſolita dicant. ibid.
Denominatio temperamenti eſt à prædominante humore. 102 a
Dentibus fremere quid indicet, & cur fiat. 24 c
Diſcere quid ſit. & ut fiat. 4 a
Diſcere eſt moueri ex hoc in illud, & determinatur igne multo aere temperato. 18 a
Dioniſius Siracuſanus qualis fuerit. 98 a
Diſtillatio ſalſæ pituitæ, ut excitetur. 62 b
Dubioſi qui ſint, & cur tales ſint. 38 c
Dulcia ſi adurantur fiunt amara. 106 b

E

Elementū virtute dominans in compoſito, quod, & quotuplex ſit. 9 a
Elementa reſpondens ſenſibus internis. 18 b
Elementa, vel mole, vel virtute præualent. 9 a 58 a
Elixatio fit in ſtomaco. 14 a
Entuſiaſmus quid, & quotuplex ſit, & quomodo fiat. 71 a
Ereſipilas ex qua ſpecie bilis fiat. 25 c
Epilepſiæ propenſus qui ſit, & cur. 38 c
Exceſſus omnis vitioſus. 28 b
Eunuchi frigidi, & humidi. 87 a
Eunuchus differt ab eo, quod erat prius, vt mas à fœmina. 94 b
Excellentia actionum ſtat in æqualitate. 45 c

Exceſſus caloris materiam facit aduſtam. 28
Experientia ſit ex multis memorijs. 39 b
Extaſis quid ſit, & quomodo fiat. 72 c
Exuſta inæqualem habent ſuperficiem. 37 a

F

Facies vitrea quæ dicatur. 63 b
Faſcinationibus facile ſubditi qui. 33 b
Fatuus cur ſit fortunatus. 39 b
Fauonius imitator Catonis in malis non in bonis operibus cur. 63 a
Fex ſanguinis quæ nam ſit. 41 b
Fides nos cum alijs iungit. 33 a
Filij cur ſapiant naturam parentum. 10 b
Finis ſecundum naturam habet rationem boni. 65 b
Florentini cur eadem ſæpe repetant verb. 76 c
Fœmina bene olet ſi nihil olet, & cur. 21 c
Fœmina ſicca, & calida infecunda, vt plurimum. 82 c
Fœminæ Venereæ infecundæ cur. 83 b
Fœmina, vt plurimum humida, & frigida. 92 b
Fœmina frigida, & ſicca facilè impudica, & luegallica inficitur, & eius inclinationes. 112 a
Forma hominis apta fieri omnia. 52 c
Fractores fidei ſunt Tartari, Mauri, Septentrionales populi, & omnes frigido temperamento præditi. 33 c
Frigus prædominas liuorem inducit. 32 a
Frigus laboris, & motus inimicus. 34 c
Frigus congregat omnia. 86 b
Frigus timorem facit. 111 a
Frigidi temperamenti cur vt plurimum balbi. 111 b
Frigidi, & ſicci ad quas artes ſint propenſi. 112 a
Frigidi, & calidi quomodo fidei fractores. 33 c
Frons bene temperati hominis quæ. 21 a
Frons quadrata magnanimum docet virum. 92 a
Frons lata quid indicet. 32 a
Frons turpis quæ ſit, & quid indicet. ibid.
Furor vnde oriatur. 46 a
Furor eſt delirij exceſſus. 71 a

G

Galli, & Germani calidi, & humidi, ideo furioſi. 97 c
Garrulus qui ſit, & cur. 39 c
Geſticulatores manibus qui, cur, & horum inclinationes. ibid.

Generatio partium corporis, humorum, & ciborum. 4 e
Glires, & mares frigidi, & ſicci in tertio gradu. 110 a
Gradus calidi temperamenti tres, vt cognoſcantur, & quas faciant inclinationes. 23 a
Græci cur fidei fractores cum calidi ſint. 33 a
Guſtus eſt ſpecies tactus. 6 b 77 a
Guſtus refertur ad terram humidam. 3 c

H

Harmonia mutatur ad mutationem vocis grauis. 64 b
Hepar eſt omnium humorum principium. 7 b
Hepar primum humidorum omnibus alimentum ſuppeditat. 12 c
Hepar principium ſanguificationis. 13 a
Hepar bene temperatũ quem habeat calorem, colorem, & odorem. 14 a
Hepar iuſto calidius, nigrus eſt. 14 b
Hepar frigidius ſimile hepati ouis, & bouis. 14 c
Hepar humidus eſt ſimile hepati Anſeris. ibid.
Hepar ſiccius habet liuidam nigredinem. 15 a
Hepar ſanguinis facina, & quale illud, talis eſt etiam ſanguinis. 15 b
Hepar calidius cutim faciet liuidam cineritium ſubnigram macram, & oculos cauos, & rubrubros. 15 a
Hepar calidius, & humidus furunculos pediculos, & ſcabiem non ſiccam, nec albam facit. 15 a
Hepar calidius biliorum, ſiccius melancholicum facit ſanguinem. 15 a
Hepar frigidius aquoſum facit ſanguinem. ibid.
Hepar ſiccius, & frigidius quid faciat. 15 c
Hepar frigidum, vt cognoſcatur, & quas pariat inclinationes. 34 c
Hepar ſiccum, & calidum vt cognoſcatur, & eius inclinationes. 85 b
Hepar principium materiale potentiæ vegetatiuæ. 93 a
Hepar calidum, & humidum ſanguinis naturam indicat. 93 a
Hepar calidum, & humidum quas faciat inclinationes. 93 a
Hercules furioſus vxorum, & filios necauit. 46 a
Hiſpani, & Luſitani ſicci, & calidi in ſecundo gradu, vt cognoſcantur, & quas habeant inclinationes. 83 c
Homo ciuilis ſeipſum cognoſcere debet, & quomodo. 1 b
Homo corpus naturale organicum, & viuens habet. 3 a
Homo conſtat ex anima, vt forma, corpore vt materia. ibid.
Homo viuens perfectiſſimum ex quatuor conſtans elementis, in quæ tandem reſoluitur. 4 a. 6 a. 7 b
Homo euiratus imperfectus ſecundum operationes. 12 c
Homo euiratus à naturali recedit temperamento. 13 a

Homo optimè temperatus qualis, vt ſit rerum aliarum iudex? 22 a
Homo optimè temperatus quas habeat inclinationes. 22 c
Homo facile vexatus ob immundis ſpiritibus qui. 30 b
Homo temperamento humidus aliorum imitator. 37 b
Homo concubinus, & muliebria patiens qui. 38 a
Homo effeminatus qui ſit. 49 b
Homo perfectum compoſitum terminatur proprio termino quia in illo præualet ſiccitas terræ. 41 c
Homo excellens non ſit abſque melancholia. 45 c
Homo ſicco, & ſubfrigido temperamento tripliciter agit. 46 a
Homo agit per animam, ſimpliciter hac, & illo modo per materiã. 50 b
Homo ſicci temperamenti breuioris vitæ. 51 b
Homo impudens vt cognoſcatur, & qui ſit. 52 a
Homo ad varia vitæ ſtudia diſpoſitus. 2 a
Homo temperamenti melancholici tres habet ſtatus? 61 a
Homo homicida qui ſit, & ſiat. 76 a
Homo magni, & temperati hepates à coitu non leditur? 92 a
Homo calidior, & ſiccior fœmina. 96 a
Homo calidius, & humidus maxime vult, & facile cedit. 104 a
Homo ex affectu viuens qui ſit, & qualis. 105 a
Homo calidus, & humidus facile iraſcitur, & miteſcit. 106 c
Homo calidius, & humidus in infortunijs vilis, in ſecunda fortuna ſuperbus. 107 c
Homo calidus, & humidus audaciſsimus cur? 107 c
Homo non iudicandus ab vna operatione. 101 a
Homo ſtupidus qui dicatur. 86 c
Homo venereis cogitationibus gaudens qui. 38 b
Homo melancholicus timidus, malignus, vilis, & eo magis ſi cor frigidum habeat. 11 a
Horatius corpore fuit exiguo. 11 a
Humor ex cibo, & hic ex elementis. 4 b
Humores naturales faciunt ſpiritus, & partes ſimiliares. 7 b
Humores quomodo generentur in homine. 7 c
Humores naturaliter cur humidi. 7 b
Humor radicalis naturali calori alimentum miniſtrat. 7. 8 b
Humidum in humoribus præualet, quia humidis nutrimur. 8 c
Humor pituitoſus, & melancholicus præualet mole; ſanguis, & bilis virtute in corpore. ibid.
Humidum radicali calori iunctum, ſpiritus dicitur. 10 b
Humidum facile alieno terminatur termino. 37 b 86 a

Humi-

Humidum retundendo calorem, & ſpiritus incraſſando ſomnum facit. pag. 38 b
Humiditas in temperamento multorum cauſa verborum. 38 c
Humidum calorem lenit. 45 c
Humidum aliud excrementitium, aliud vitale. 57 a
Humidum à calore paſſum euadit ſalſum. 59 c
Humidum aliud madefaciens, aliud replens. 86 a
Humores nec plures, nec pauciores quatuor. 6 b 7 a
Humor arterioſus componitur ex aere, & ſanguine. 10 b
Humor aduſtus eſt morti quam vitæ propinquior. 46 c
Humor ſalſus circa pudenda titillationem facit. 46 c
Humores omnes quomodo generentur in corpore. 5 b
Humores quomodo mutentur, & varientur. ibid. c
Humor ſalſus materialis cauſa impudicitiæ. 26 c

I

Icor ex ſanguine aſſato aqua ab Hippocrate dicitur. 58 c
Icor ſanguinis melancholici ſalſus, cur. 59 a
Ignis tres habet gradus operationis. 9 a
Ignis in perfectis animalibus virtute præualet. 58 a
Ignis cum ſit in fieri eget continue ex quo fiat. 73 c
Ignis proprietates quæ, & quales. 74 a
Ignis vitæ principium, & concauſa omnium operationum. ibid.
Ignis in animalibus reſidet in corde. 74 b
Ignis agens in humidum facit colorem nigrum. 74 c
Ignis cætera elementa penetrat quia ſubtilis. 80 c
Ignis noſter eſt exceſſus caloris, & ſiccitatis. 95 a
Ignis criſpos facit capillos. 32 a
Imaginatio ſtat in calore moderato. 90 c
Imaginatio quid faciat. 95 a
Immundus ſpiritus quas occupare ſoleat. 10 b
Impudens homo qui dicatur. 46 c
Inclinationes hominum quæ nam dicantur. 19 c
Inclinationum aliæ ad intellectiuam, aliæ ad ſenſitiuam, aliæ ad vegetatiuam potentiam pertinent. 90 b
Inclinationes hominum naturales an præcognoſcantur. 101 c
Inclinationes hominum quibus rebus innoteſcat. 2 b
Infideles qui eſſe dicantur. 33 b
Infidelitas à calore, & frigore quomodo criatur. 33 c
Infidi quas habeant inclinationes. 34 a
Inſtrumenta compoſiti variantur ad varietatem materiæ. 2 b

Inſtrumenta animi quæ nam ſint. 5 b
Intrepidi, & fortes, qui ſint. 101 b
Intelectus habet cogitationem, diſcurſum, & apprehenſionem. 78 c
Intellectus, & ratio idem ſunt ſecundum ſe. 30 c
Intellectus triplex eſt. 3 c
Intellectus eſt aut potentia contemplatiua, & conſiderat veritatem; aut actiua, & conſiderat bonitatem. 4 a
Intemperies eſt exceſſus vnius, aut plurium qualitatum. 23 a
Intelligens phantaſmata ſpeculari debet. 95 b
Intentio Auctoris in tractatu de Temperamentis. 2 b
Irati cur dentibus fremant. 24 c
Iraſcibilis potentia vtitur flaua bile. 18 c
Iraſcibilis in calido, & ſicco, concupiſcibilis in calido, & humido conſiſtit. 85 a
Itali intra Apeninum, & Padum ſicci, & calidi in primo gradu, vt cognoſcantur, & quas habeant mores. 83 b
Iudæi quales ſint in ſuis operationibus. 115 a
Iuno habere oculos bouis dicitur cur. 93 c
Iuſtitia eſt virtus ad alios. 55 b
Iuſti, & iniuſti qui dicantur ibid.
Iuuenis calido temperamento in primo gradu qualis. 23 c
Inuidi qui dicantur. 27 c

L

Lac multas habet partes, quæ ab igne diſgregantur. 59 a
Lac colore ſolo differt à ſanguine. 59 b
Lac colorem recipit in ſubſtantia mammarum. 59 b
Lacbrima amara interna exuri. 11 c
Lacbrima dulcis moderatum docet calorem. 12 a
Lanij cur fiant crudeles. 100 c
Leo, quos ferit, facili ſanantur. 76 b
Liberalis ſuauis, & placidus eſt cur. 27 a
Liberalitas ab humido calore prouenit. 67 b
Liberum arbitrium non offenditur, nec ponitur vlla neceſſitas in operationibus ab humorum natura venientibus. 19 c
Litteratiſsimi, qui peſſimi fuere melancholici. 68 b
Liuor eſt frigoris opus.
Loquaces qui nam eſſe dicantur. 38 a
Lunatici homines qui ſint. 87 c
Luxurioſi, & ad omne genus libidinis propenſi qui. 26 c

Manus

M

Manus in vola, & caput in vertice calidum, hepar calidius docent. 14 c
Manus pedes, & crura macra quid. 29 b
Magnificentia non intrat in animam ſordidam. 67 b
Materia nutritionis terra, & aqua, generationis aer, & ignis eſt. 3 b
Materia diuerſa diuerſificat actiones. 4 b
Materia, & forma ſunt ad aliquid. 30 b
Materia eſt cauſa indiuiduationis. 39 a
Materia temperamentorum alia ex qua, alia in qua, & circa qua. 66 a
Medicus debet humanas complexiones cognoſcere. 1 b
Maturitas à calore, immaturitas à frigore fit. 33 a
Medicamentum purgans in moribundis nihil mouet. 102 c
Medicamentum vincit, & vincitur in corpore. ibid.
Mathematica eget multa cogitatione. 34 c
Melancholia reſpondet terræ & eius qui ſit tactus color, odor, ſapor. 6 a
Melancholia naturalis in facie ſaturatum ruborem, præternaturalis liuorem facit. 15 a
Melancholici cur in omni ſcientia excellentes. 45 c
Melancholici luxurioſi, & infecundi cur. 52 a
Melancholia præternaturalis ab Hippocrate dicitur aqua. 56 c
Melancholici ſicci ſunt, terram enim referunt. 59 a
Melancholici quo humido abundent. ibid.
Melancholicorum caro, color, & calor. 59 b
Melancholia præternaturalis vt fiat, cui ſimilis, & quomodo aquam referat. 60 a
Melancholici macri, & libidinoſi cur. 59 c
Melancholici habent ſtomachum frididum, & hepar calidum cur. 62 a
Melancholici de omnibus detractores cur. 64 c
Melancholici indiſcreti tanquam Aſini. 64 a
Melancholici varij, & inequales in operando cur. 64 b
Melancholici audaces, timidi, crudeles cur. 65 a
Melancholici ad omne genus libidinis parati cur. 65 c
Melancholici veri Hypocritæ. 60 c
Melancholici vt plurimum ſunt homines cur. 66 a
Melancholici crudeles, & humiles cur. 67 a
Melancholici accenſi omne magnum ſcelus pro nihilo habent. 67 b
Melancholici ab vſu liberalitatis triſtantur. ibid.
Melancholici homines, non numerandi cur. 67 c
Melancholici calefacti bonum à malo non diſcernunt. 78 b

Melancolicus ex Amore, mortuus eſt. 71 b
Melancholici proprie Enthuſiaſmo corripiuntur. 72 a
Melancholici ex caloris defectu quales ſint. 72 c
Melancholici cur tam mera ſe audire dicant. 73 a
Melancholicus credebat ſe Regem Gallicæ. 73 b
Melancholicus ex ira quomodo fiat. 73 c
Melancholici diſputationibus apti cur, 82 c
Melancholici terram referunt, & qualis eorum actiones. 113 c
Melancholici cur ſint libidinoſi. 115 c
Melancholici in ſuis actionibus varij cur. 116 b
Melancholia præter naturalis quadruplex, naturalis vero triplex. 41 a
Melancholia vt in pluribus prædominatur. 41 c
Melancholia prædominans ut cognoſcatur, & quas faciat in homine paſſiones. 42 a
Melancholia eſt cauſa cur homines fiant inſignes. 45. 46
Membrum diſſimilare figura, numero, ſitu, & magnitudine determinatur, & quotuplex ſit. 4 c
Membra ſimilaria quænam ſint. ibid.
Martiales qui dicantur ab Aſtrologis. 85 a
Memoria humidum cum ſicco requirit, cum retineat receptum à ſenſu communi. 3 c
Memoria ad recipiendum humido, ad retinendum ſicco utitur, & quomodo. 17 c 78 b
Memoria dicit quietem eſt frigoris aquis. 90 c
Memoria ſuſcepit humido, amittit calore. 104 c
Mens nullo eget fundamento, cum ſola, ipſa ſit pura potentia, cur. 18 b
Mens malas amputat, alit vero bonas inclinationes, tamquam Agricola. 19 b
Mens vaga cur fiat. 32 c 35 a
Mendaces qui dicantur, & cur. 33 b
Mixta tandem in fimum, & puluerem vertuntur cũ corrũpuntur. 58 b
Mixta reſoluuntur in id, quod in illis prædominatur mole. 60 a
Mixtio eſt miſcibilium alteratorum unio. 20 b
Moribundi cur exactiſſimè audiant. 78 a 94 a
Mors in frigido, & ſicco poſita. 85 c
Mores ab interna, & externa cauſa fiunt. 100 b 101 a
Motus celer cur fiat in paruo corpore. 11 a
Motus voluntarius quomodo excitetur. 84 b
Motus localis eſt talis, qualis cognitio. 79 b
*Motus localis per ſe non eſt ſine appetitu, aut voluntate, nec hac ſine

phantaſiâ. 79 b
Mundus ex quatuor conſtat elementis. 6 a
Mulier calida, & ſicca libidinoſa, & ut cognoſcatur. 81 a
Mulier omnis cupit pulchra uideri. 97 a
Mutationes in homine duplices, & quæ ſint. 37 b
Muria quomodo res à putredine ſeruet. 60 b

N

NAſus magnus acutus cum naribus latis quid indicet. 29 a
Naſus hominis bene temperati qualis. 21 a
Natura humana contemplatur exemplo candelæ in lanterna exiſtentis. 5 b
Nero oculos habebat immobiles. 32 b
Nero modo cultor, modo ſpretor, & deturpator ſuarum Deorum cur. pag. 66 c
Nigredo quomodo fiat. 53 c

O

OBſtinatio adamantina melancholicorum eſt. 62 c
Oculi parui, & concaui quid indicent. 29 a
Oculi parui, & acute intuentes qui. 78 a
Oculi in temperamento humido, & calido, quales. 93 c
Oculi ſubalbidi, ut pecudum cerebrum frigidius, 16 a
Oculi ſubnigri lucidi, mobiles cerebrum calidius. ibid.
Oculi magni parum uidentes cerebrum humidius docent. 16 b
Oculi hominis bene temperati, quales. 21 a
Oculi ſubcrocei, & ſicci bilis prædominium indicant. 23 b
Oculi melancholicorum quales ſint. 42 b
Odor ſtat in ſicco paſſo ab humido. 6 c
Odor quotuplex eſſe poſſit. 11 b
Odor malus ab homine, malis illum abundare indicat excrementis. 11 b
Odor bonus indicat naturalem calorem prædominari, & putredinem abeſſe. 11 b
Odor robuſtorum uirorum bonus, & qualis ſit. 12 a
Odoratus utitur calido, & ſicco. 78 a
Offactus refertur ad ignem. 3 c
Operatio melior, aut peior eſt à materia. 2 b
Operatio qualis, talis uita, & fortuna noſtra. 95 c
Operationes à frigore ſunt imperfectiores quam à calore factæ. 86 a
Operationes animæ uariantur per accidens à materia. 12 b
Ordo ſeruandus in inueſtigandis temperamentis. 2 a
Ordo cauſa pulchritudinis, confuſio turpitudinis. 29 a

Partes

P

PArtes principes corporis ſunt cor, cerebrum, hepar teſtes. 12 c
Partes corporis frigidæ, & humidæ quæ. 86 c
Partes corporis ſiccæ, & frigidæ quæ. 113 a
Partes ſimilares, & diſſimilare ex quibus fiant. 4 b
Partes ſimilares quot, & quæ. 4 b 8 b
Partes ſolidæ corporis ex quibus fiant. 7 a
Paſſio accidentalis breui durans eſt ab effectu, & continuà eſt ab habitu. 43 a
Paſſiones inſunt corpori ab anima, & forma, at exercentur per corpus, materiamque. 50 b
Paſſiones, & animæ, & corporis humores adurunt. 61 a
Paſſiones timidi, & deffidantis hominis quæ. 34 c
Perfectum illud cui nec minui, nec addi poteſt. 21 c
Petulantia eſt propria humidi, & calidi. 99 a
Perſius Poeta qualis fuerit. 112 a
Phantaſia ignea eſt diſcurrit, & indicat. 3 c
Phantaſia quæ conſtat calido ſimilia iungit, & diſſimilia diſiungit. 18 a
Phantaſia iudicat calido, & ſicco; & quod ſit illius munus. 78 c
Phantaſia non eſt ſine ſenſu, aut cognitione. 79 b
Pœni Africani, ſeu Barbari ſicci, & calidi in tertio gradu, vt cognoſcantur, & quæ ſint illorum paſſiones. 83 c
Phtiſi facile qui corripiantur. 29 a
Pili rubei, aut ruffi bilis prædominium docent. 23 b
Pituita craſſa, & ſicca ob frigus, quas faciat in corpore paſſiones. 56 b
Pituita craſſa, & ſicca facit tremorem vitam ſi ſit à frigore, quam ſi eſſet à calore. 56 a
Pituita Vitrea eſt peior, quam aduſta. 53 c
Pituita coriacea, exuſta, vitrea Vt fiat. ibid.
Pituita ſicca quæ, & quot modis fiat. ibid.
Pituita cur generetur, & aduratur. 53 a
Pituita per auuſtionem, aut admiſtionem flauæ bilis ſubtilior, acrior, & ſalſa euadit cur. 49 b
Pituita naturalis quæ nam ſit colore, ſapore ſubſtantia. ibid.
Pituita craſſa, ſordida, coriacea, tenax, & obſtruens, quas faciat inclinationes. 48 c
Pituita quæ eſt ſimilis aquæ dicitur ſanguis inconcoctus, quomodo, & quis ſit eius ſapor, odor, color. 6 b
Pili Barbæ quales, tales, & teſtium. 13 c
Pili rari, craſſi, nigri, plani, Vnde. 28 c

Pili tenues, ſubtiles, plani, rari, vnde. 31 c
Pituita ſalſa acris, & ſubtilis quas faciat in homine inclinationes. pag. 48 c
Potentia nutritiua vtitur calore, vt inſtrumento, vt materia vero vtitur humore. 3 a
Potentia auctiua vtitur calore, & humore. ibid.
Potentia generatiua vtitur calore, & aere multo. 3 b
Potentia motiua conſtat appetitu, & phantaſiæ. 3 c.
Potentia mouens partes triplex eſt. ibid b
Pigritia in homine vnde fiat. 33 b
Potentia vel eſt animæ facultas, vel ipſa animá. 50 c
Potens, & impotens qui dicatur. 54 c
Potentiæ diuerſificantur á materia. 93 c
Potentiæ animæ in manu liberi arbitrij ſunt. 116 c
Populi vt ſunt regendi. 1
Prædominium ſecundum molem non inducit prædominium ſecundum virtutem. 102 a
Prædominium bilis atræ quos faciat mores. 66 a
Prædominium actiuorum humorum quales faciat homines. 9 c
Predominium, & ſubdominium quid ſit. 9 b
Principia hominum cognoſcere, eorum naturam facit ſcire. 2 b
Princeps in conſultando bonus, in agendo malus. 106 a 111
Principia nata ſunt ſimul iungi. 2 c
Principium rerum eſt aqua ait Thales. 43 c
Propenſiones corporis ex cognitione ſpiritum inoteſcum. 2 a
Proprietas melancholicorum eſt mala prædicere. 63 c
Proprietas calidi, & ſicci eſt humorem appetere. 75 b
Proprietates frigoris quæ, & quot. 86 a
Pulchritudo, aut turpitudo non facit ad hominum mores ſed ſanguinis maſſa. 10 a
Pulſus rarus, & paruus, cum narium foraminibus paruis indicat cor frigidum. 32 c
Pueri cum ſoli ſunt, cur facile cantent. 38 a
Pulmones renibus calidiores cur ſint. 94 a

Q

QValitas in ſubiecto, vel eſt actu, vel potentiâ. 102 b
Quantitas corporis optime temperati qualis. 21 a

R

RAptores qui ſint, & qui dicuntur. 30 a
Raptores cur quæ rapiunt diſſipant. ibid.

Rarum

Rrum cur perfectum dicatur. 21 c
Ratio totum corpus gubernat. 5 b
Ratio ſi regat noſtras corporis actiones immaculati, & mundi erimus à peccato. 19 b
Ratio, & educatio malas ſuperat inclinationes. 52 b
Receptum ſe habet ad modum recipientis. 69 a
Reſiſtentia à ſicco, non ab humido fit. 40 b
Riſus facilis quibus ſit. 37 c
Robur ſtat in ſicco. 29 b

S

Sanguis vt gelu concretus iuuenis cuiuſdam iuuentus. 56 b
Sanguis melancholicus cum ſit à calore paſſus eſt calidus, & ſiccus, non frigidus, & humidus. 57 c
Sanguis morboſus in melancholicis ſimilis aquæ cur. 58 c
Sanguis naturalis conſtat ex quatuor humoribus. ibid.
Sanguis extrauenatus cur coaguletur. ibid.
Sanguis dum corrumpitur, ab humido, & calido recedit, & ad ſiccum, & frigidum accedit. ibid.
Sanguis melancholicorum cur ſiccus ſit. 59 a
Sanguis melancholicus ſi ſiccus quomodo aquoſus. 59 a
Sanguis quomodo in aquam vertatur. 58 b
Sanguis icoroſus aduritur recedit à ſuo eſſe. 59 a
Sanguis naturalis male eſt aqua, virtute aer. 59 b
Sanguis melancholicus, & icoroſus ex quo, & à quo fiat. 60 b 62 b
Sanguinis maſſa ab externis cognoſcitur ſignis. 2 a
Sanguinis naturam, color, odor, ſapor, calor, qualis. 6 b
Sanguis idem in homine, quod aer in compoſitis facit. ibid.
Sanguis venoſus generat ſpiritus, & corpus nutrit. 10 c
Sanguis diſtributio per corpus quomodo fiat. 14 a
Sanguis bilioſus quem faciat in facie colorem. 15 a
Sanguis arterioſus eſt baſis humidi radicalis, & ſpirituum calorem naturalem alentium. 16 c
Sanguis generans ſpiritus ſi cognoſcatur omnes animi, & corporis diſpoſitiones nobis notificat. 19 a
Sanguis venoſus alit corporis artus. 20 b
Sanguis arterioſus ſpiritus animalis generat. 20 c
Sanguis pituitoſus qualis ſit. 36 c
Sanguificatio quotuplex, & vbi fiat. 14 b
Salaces, & venerei qui ſint. 46 c
Sanitas melancholicorum cur inæqualis. 63 a

Sapor

Sapor acerbus à frigido, & ſicco fit cur. 114 b
Sapor acerbus ad terram refertur. 44 a
Secreta quibus non reuelanda. 98 b
Semen in calido, & humido conſiſtit. 42 c
Senes amatores non ſunt cur. 67 c
Senes frigidi, & ſicci in primò gradu. 110 a
Sentire eſt quoddam pati. 4 b
Senſus habet gradus decem. 3 b
Senſus communis frigido, & ſicco determinatur. 18 a
Senſus communis ſtat in humido, & recipit omnes ſenus exteriores. 3 c
Senſus communis externorum centrum. 94 c
Senſus communes in humido, & calido temperato ſtat. 78 b
Senſus interni quot, & illorum munus. ibid.
Senſus externi quomodo conſeruentur. 75 c
Senſitiua potentia tres internos, & quinq; externos ſenſus habet. 93 b
Siccitas robuſtum facit hominem cur. 29 b
Sicci, & calidi vltra tertium gradum qui, & eorum mores. 83 b
Sicci, & calidi vereci, ſed infæcundi cur. 83 a
Sicci, & frigidi quærunt ſibi bonum ex malo aliorum. 114 c
Sicci, & frigidi cur balbi. ibid.
Sicci, & frigidi, moribus ſunt ſimiles Aſino. 114 b
Siccum facile humido priuatur. 82 a
Sicci proprio non alieno termino terminantur. 63 c
Scientia dicitur quietem, & impermutationem. 105 c
Siccum difficile alieno termino terminatur. 29 c
Siccitas eſt acumen caloris. 28 a
Siccitas ex ſanguinis aduſtione, & iam aduſto quas faciat in hominibus inclinationes. 47 c
Siccitas bilis naturalis aduſtæ, & eius quæ aduritus quas faciat inclinationes. 47 b
Signa temperamenti à guſtu. 11 c
Signa temperamenti à tactu. 12 a
Signa temperamenti ab odoratu. 11 a
Signa temperamenti ab auditu. ibid.
Signa temperamenti à viſu. ibid.
Sibillæ per delirium prædicebant. 71 c
Simulator præ timore qui ſit. 56 a
Socrates ad impudicitiam propenſus, & veracitatem. 31 a
Somnus melancholicorum breuis cur. 64 a
Somnus in humore conſiſtit. 82 b

Somniorum profundi ſomni cur non recordemur? 94 c
Spiritus vitalis à corde ad totum fluit corpus. 74 a
Spiritus cognoſcuntur cognito ſanguine cur. 2 a
Spiritus ex ſanguine arterioſo, hic ex venoſo, hic ex chilo, ex cibis fit chilus. 5 b
Spiritus variantur multis modis. ibid.
Spiritus fiunt ex ſanguine, & aere, quomodo. 19 a
Spiritus ſubtilis in contemplando facit promptum? 50 c
Sordes aurium dulces peripneumonicis male cur. 12 a
Stomacus humido calore priuatus male digerit. 62 a
Subſtantia cerebri frigida, & humida. 15 c
Sudor qualitatem ſanguinis docet. 13 c
Superbus libenter aliena turbat, & cupit. 76 c
Suſpectus à timore quomodo oriatur. 116 b

T

TActus refertur ad terram ſiccam. 3 e
Temperies fit ex humorum miſcelâ? 8 a
Temperies prima eſt inter actiua, & paſſiuâ? 8 b
Temperies ſtat in qualitatum mediocritate. 23 a
Temperamentum aliud ad pondus, aliud ad iuſtitiam? 8 à 20 b
Temperamentum ad pondus cur non detur. 8 b
Temperamentum ad pondus quid ſit. 8 c
Temperamentum ad iuſtitiam quid ſit. 8 e
Temperamentum humanum cur multiplicetur. 9 a
Temperamentum ex bilis prædominio, & ſanguinis ſubdominio quid ſit, & vt cognoſcatur. 9 c 23 c
Temperamentum aliud à natura, aliud ab arte, & quid hac, & illud ſit. 10 b
Temperamentum quibus cauſis mutetur? 10 c
Temperamentum hepatis à carnis, & cutis colore cognoſcitur. 14 c
Temperamentum vnum tantum perfectum, & quod ſit. 23 à
Temperamentum ex bilis naturalis prædominio quod nam ſit, vt cognoſcatur, & componatur, & quas faciat, & animi, & corporis inclinationes. 23 b
Temperamentum in quo bilis flaua ſanguinem ſuperat, vt cognoſcitur, & quas faciat inclinationes. 25 26
Temperamentum in quo bilis flaua ſanguinem ſuperat tres habet gradus. 25 b
Temperamentum ex bilis præternaturalis prædominio, & melancholia ſubdominio mixta cum pituita, vt dicitur, cognoſcitur, & quas faciat

ciat inclinationes. 28 29 30
Temperamentum frigidum quid ſit. 31 a
Temperamentum frigidum tres habet gradus. 31-32
Temperamentum cum prædominio pituitæ, ſubdominio melancholiæ naturalis temperata à ſanguine ſuperanti bilem quid ſit vt cognoſcitur, & quas faciat inclinationes. 34 b
Temperamentum humidum fit à pituita ſuperante ſanguinem. 36 37
Temperamentum humidum quas faciat inclinationes. 37 b
Temperamentum ſiccum fit cum prædominio bilis atra ſubdominio flauæ, quotuplex ſit, & eius inclinationes. 40 41
Temperamentum melancholicum facile aquiritur cur. 41 c
Temperamentum ex melancholia mole, & virtute prædominante, cum ſubdominio bilis flauæ quas faciat in anima, & corpore inclinationes. 42 b
Temperamentum ſiccum ex naturali melancholia, quid, quotuplex, & quas faciat inclinationes. 43 b
Temperamentum calidum in ſecundo gradu, vt cognoſcatur, & quas faciat inclinationes. 25 c
Temperamentum calidum in tertio gradu, vt cognoſcatur, & quas faciat inclinationes. 28 a
Temperamentum ex aduſtione flauæ bilis quos faciat homines, & eorum inclinationes. 46 47
Temperamentum ſiccum, & ſubfrigidum quale ſit. 46 b
Temperamentum mutatur, & ſit alterum per accidens. 48 c
Temperamentum naturale mutatur, & alteratur, ſed non aboletur cur. 49 a
Temperamentum ex aduſtione pituitæ quotuplex, vt ſit, & quas faciat inclinationes. 49 50 51
Temperamentum ex pituita aduſta, aut paſſa à calore quas faciat morbos. 50 c 53
Temperamentum varias recipit formas. 52 b
Temperamentum inclinat, at non cogit 52 b
Temperamentum ex aduſta, aut vitrea pituita, vt componitur cognoſcitur, & quas faciat inclinationes. 54 a
Temperamentum præternaturalis melacholiæ quale. 57 b
Temperamentum melancholicum varias facit affectus. 61 b
Temperamentum præternaturalis melancholiæ à ſicco calore paſſæ, vt cognoſcitur, & quas faciat tum in anima, tum in corpore diſpoſitiones. 61 62 63 64 65 65
Temperamentum calidum, & ſiccum, ignem refert. 73 c

Temperamentum in quo primum locum occupat bilis flauà, ſecundum ſanguis, tertium pituita, quartum melancholia quid ſit, vt cognoſcatur, & quas faciat inclinationes. 74. 75. 76. 77. 78. 79
Temperamentum calidum, & ſiccum quales faciat homines in ſuis operationibus. 79 b 80 a
Temperamentum ſiccum, & calidum, vt componatur, vt cognoſcatur, & quas facit inclinationes. 81 b
Temperamentum ſiccum, & calidum tres habet gradus. 85 b
Temperamentum frigidum, & humidum quid vt componitur, cognoſcitur, & eius inclinationes. 86. 87. 88
Temperamentum humidum, & calidum quid, vt componitur, cognoſcitur, & eius inclinationes. 89. 90
Temperamentum aſci ijum multiplex. 89 b
Temperamentum ex bilis aduſtione triplex. 47 b
Temperamentum frigidum ſecundum omnes corpori partes, vt cognoſcatur, & quas producat inclinationes. 32 c
Temperamentum calidum in primo gradu. 23 c
Temperamentum calidum, & humidum tres habet gradus. 89 c
Temperamentum humidum, & calidum in primo gradu qualem habeat contemp atiuam potentiam. 90 b
Temperamentum humidum, vt duo, calidum, vt vnum, vt cognoſcitur, componitur, & quas faciat inclinationes. 92. 93
Temperamentum humidum, & calidum qualem habeat potentiam ſenſitiuam. 93 c
Temperamenti denominatio à quibus ſummatur. 94 a
Temperamentum humidum, & calidum quales habeat ſenſus internas. 94 c
Temperamentum frigidum, vt componitur, cognoſcitur, & quales producat inclinationes. 31 b
Temperamentum non dat habitum ſed inclinationes. 116 c
Temperamentum temperatum, & diſtemperatum quale. 20 b
Temperamentum humidum, & calidum tres habet gradus. 95 c
Temperamentum humidum, & calidum quales faciat in homine inclinationes. 96. 97. 98. 99. 100
Temperamentum humidum, & calidum, vt cognoſcitur, & cur maxime cuſtodiendum. 99. 100
Temperamentum cur faciat à ſe ipſo diuerſas operationes. 101 a
Temperamentum certas inclinationes, ſed non mores docet. 101 b
Temperamentum calidum, & humidum quale ſit, vt cognoſcitur, componitur, & quas faciat inclinationes. 103. 104

Temperamentum calidum, & humidum ſimile aquæ ferventi, & aeri æſtuanti, quas faciat, & in anima, & in corpore inclinationes. pag. 104. 105. 106
Temperamentum humidum, & frigidum, ut cognoſcatur, componitur, & quas faciat inclinationes. 108. 109
Temperamentum frigidum, & ſiccum quale, ut cognoſcitur, componitur, & quot gradus habeat. 109. 110
Temperamentum frigidum, & ſiccum in primo, & ſecundo gradu, ut cognoſcitur, & quæ ſint illius inclinationes. 110. 111. 112. 11 .
Temperamentum ſiccum, & frigididum quale, quot gradus habeat, ut cognoſcatur, & quas inferat animi paſſiones. 113. 114. 115. *cui aſſimiletur, ut componatur, & quales habeat animi potentias.* 116. 117.
Terra prævalet, in determinatis proprio termino. 9 a
Terra elementum univerſi, unum. 42 a
Terra quotuplex, totuplex melancholia. 57 b
Terra mole in viventibus prævalet. 58 a
Terra hyeme frigida, æſtate calida. 61 b
Terra eſt multarum ſpecierum. 113 b
Terra quot recipit, diu retinet. 114 c
Teſtes principium ſiccitatis, dant robur, & virilitatem. 13 a
Teſtes maiores, aut minores iuſto, aut impotentes, aut ſolum fœminas faciunt. 13 c
Teſtes contracti ſanitatem, & robur docent. ibid.
Teſtes demiſsi quid indicent. ibid.
Teſtes bene diſpoſiti quales eſſe dicuntur. 14 a
Teſtes frigidi quomodo cognoſcantur. ibid.
Teſtes calidi quomodo innoteſcant. ibid.
Teſtes humidi, teſtes ſicci, ut cognoſcantur. ibid.
Teſtes alterant temperiem partium principium, & inclinationes mutant, & cur. 14 b
Teſtes maxime pollent ad mores faciendos. 94 a
Timor, & triſtitia cuius ſint paſſiones. 36 a
Timidus cur ſit etiam crudelis. 64 a
Timon mortem omnibus deſiderabat, & ſolum amabat Alcibiadem, cur. 67 b
Tigellus non ceſſabat à cantu quin prius maxime iraſceretur. 68 b
Tigellus apud Horatium maxime inſtabilis cur. 105 c
Tiberius diuturna fuit ira. 116 b

Turpitudo omnis ſtat in vitio. 28 b

V

VAni qui dicuntur, & cur. 47 a
Vegetatiua potentia nutrit, & generat. 93 a
Venæ meſſeraicæ, & vena porta vbi implatentur. 14 c
Venenum in corpore vincit, & non vincitur. 102 c
Venenum cuidam vetulæ cur non nocuit. 102 b
Veredarij beſtiales cur fiant. 100 c
Veritas omnis Philoſophum decet. 1 b
Vir amabilis qui dicatur. 21 c
Viſus acutior quibus fit. 5 a
Viſus aſſignatur, & aſſimilatur aquæ. 3 c
Viſiua potentia non eadem in omnibus. 93 c
Vipera quot fierit occidit. 76 b
Vipera, & anguis frigidi, & ſicci in quarto gradu. 110 a
Vocis differentiæ quot, & quid indicent. 11 b
Vox inequalis cur fiat, & quid indicet. 40 b
Voraces ſunt temperamenti pituitoſi. 54 c
Vrina ſicci temperamenti ex bile aduſta, qualis. 53 a
Vita adoleſcentis, & pueri in calido, & humido. 100 a
Vitio humoris pituitoſi duplex eſt. 48 c
Vſus partium ſimilarium duplex. 4 b
Vulpes, Aſinus, Lepus, frigida, & ſicca animalia. 109 c

FINIS.

DE NATVRALI
EX
VNGVIVM
INSPECTIONE

Præſagio Comment.

Ab eodem Hyppolito Scaffiliono Medicinæ Doctore.

Ex eiuſdem CAMILLI BALDI Bonon. Philoſo-
phi Sermonibus Collectus, ac Typis
mandatus.

BONONIÆ,

Ex Typographia Hæredum de Duccijs. MDCLXII.

Superiorum permiſſu.

EX VNGVIVM INSPECTIONE PRAESAGIA.

EX vngue cognoſci Leonem ait adagium vetus; An eadem ratione aliquid etiam, ex vnguium inſpectione de homine, & humana natura præſciri poteſt? Phyſica eſt interrogatio, ad methodum phyſicam pertinet reſponſio, ea eſt quæ ex notis nobis ad principia, et cauſas procedit, ergo quid ſint vngues earumque differentias, et cauſas ſpeculabitur. Dixeris in tenui labor; At longe tenuiores ſunt corporis pili, eos tamen contemplatur phyſiognomus; Vrinæ, egeſtiones, cæteraque excrementa corporis longe minus quam vngues ſunt homini coniuncta, et cognata, à Medicis tamen tractantur, ac diligenter conſiderantur; Non ergo omnino operam, et oleum non eſſe perdituros putandum eſt ſi de vnguibus pauca quædam dicere aggreſſi fuerimus, atque vniuerſalibus, et confuſis ad certiora, et manifeſtiora procedentes, explicare, quid ſit vnguis, et vnguium cauſas, et differentias, et qualitates, et ſignificationes tentauerimus, nam neque vngues deſpexit Hippocrates in prognoſticis, quem non imitari foret penè piaculum.

Quid ſit Vnguis. Cap. I.

VNguis vox eſt plures habens ſignificationes. Nam & lapillus quidam precioſus, qui etiam onix, vocatur vnguis; eſt etiam morbis quidam oculum infeſtans, & pars extrema foliorum roſæ, & teſtarum quarundam operimenta, & inſtrumenta nonnulla vngues, & forte alia quædam, vocantur. Verum magis proprie vox hæc capta ſignificat partem duram, & pene inſenſibilem in extremitatibus digitorum hominis poſitam; Nam brutorum extremitates non vngues, ſed vngulæ appellari ſolent. Non tamen vnguis eſt extremitas digiti, ſed in extremitatis parte ſuperiori poſitus; Non eſt cutis, aut carnis digiti particula, quoniam caro propter neruos, & membranas adnexas, & commixtas, & cutis maxime ſenſitiua eſt, at vnguis ſenſus in parte extrema vel nullus, vel eſt valdè paruus, & obtuſus; viuit tamen quodammo, creſcit, quare etiam nutritur; Videtur autem ſpectanti motum localem digitorum, vnguem eſſe extremum tendinis extra carnem, & cutem porrecti, cuius duæ partes vna interior viuens, & ſenſum habens, altera calore, & ſenſu priuata, & hæc exterior eſt. Et quoniam ex quibus ſunt tendines ex ijſdem erunt & vngues, conſtantque tendines ex neruis, & ligamentis, illi à cerebro originem ducunt, iſta ab oſſibus, hęc ergo vnguium erunt principia quædam, & quoniam orta naturam ſuorum principiorum teſtantur, ex vnguibus non nulla de cerebro, & oſſibus ſignificabuntur, fiunt à natura per internum calorem remiſſum, & externum frigus, quare frigidi, & ſicci exiſtunt, ergo & duri, & quoniam ſunt a natura, alicuius gratia facti ſunt, natura enim eſt agens propter finem; Non ergo ſunt pura excrementa, ſed ad robur digitorum, & vt melius ſuam faciant operationem, & paruas res facilius apprehendere poſſint, vngues homini ſunt dati; Ergo vnguis erit vltima tendines mouentis digitos extremitas, extra carnem, & cutim aeri expoſita, ad firmandas, & perficiendas digitorum operationes magnopere vtilis. Quid igitur ſit vnguis, ex quibus & à quibus, & cuius gratia ſit à natura conſtitutus ex his eſt ſatis manifeſtum.

Vnguium ſpecies, & differentia. Cap. II.

VNgues humani alij pedum, alij manuum ſunt, qui ſunt in pedibus, quamuis & ipſi ſuam habeant ſignificationem, attamen quoniam apud probos, & ciuiles viros raro ſpectantur, neque enim inter diu ingenui ſine caligis, & calceis gradiuntur, de vnguibus pedum non erit ſermo, ſed tantum de his qui ſunt in manibus. Differunt inter ſe humani vngues, ſubſtantia, quantitate, qualitate, loco, actione, & paſſione; ſubſtantiam voco, ex Mediocrum ſententia, duritiem, mollitiem, raritatem, denſitatem, item leuorem, & aſperitatem, & cæteras qualitates ſecundas, quas cognoſcit ſenſus tactus; ſecundum quantitatem vngues, vel magni, vel parui ſunt, continui, vel diſiuncti, & fiſſi, àtque id vel natura, vel arte etiam, vel demum caſu, item vel magni ſunt, vel parui ſecundum latitudinem, vel ſecundum longitudinem, vel demum ſecundum omnem dimenſionem: At qualitas multiplex eſt namque habent habitum, vel potentiam ad ſcalpendum, ad ſecandum, ad ſtringendum quæ capiunt, & interdigitorum vngues hi magis, illi minus hac poteſtate inſigniti ſunt, longe enim ad actionem paratiores ſunt vngues manus dextræ, quam ſiniſtræ, & pollicis, aut indicis, quam reliquorum digitorum. Qualitates vnguium præter ſenſum tactus, iudicat etiam viſus; & quidem ſecundum totum vnguem, cum alios albos, alios purpureos iudicat, alios demum pallidos, & liuidos, & ad nigredinem accedentes; Et ſecundum partem etiam de his determinat, dum hos vngues videt puros, alios vero canaliculis pleno, & quaſi ſtriatos; & quoſdam alios maculis diſtinctos, colore, radijs, locis inter ſe longe differentes, ſecundum colorem enim alij maculas habent albas, alij nigras, liuidas, rubras, ad nigredinem accedentes; ex his maculis aliæ radioſæ dicuntur, aliæ radijs carent, vt cunque vel ſunt in principio, vel in medio, vel in fine vnguis. Diuiditur enim a chyromanticis, in tres partes vnguis, prima ea eſt, quæ infixa carni eſt, vnguis dicitur radix, in plurimis alba, & hæc non ſolum viuit, ſed ferè ſenſus eſt particeps, ſecunda ea eſt, quæ ad ruborem accedit in his qui bene valentes ſunt; Tertia extrema eſt, quæ neque ſentit, neque viuit niſi vt capilli, quare & ſine ſenſu ſecatur; Hæc autem pars tertia à chyromanticis deſpicitur; figuras etiam vnguium ſpectare conuenit, nam alij ſunt oblongi, alij rotundi,

alij recti, quidam curui, turpes, pulchri, æquales inter ſe, inæquales, et male tornati, & impoliti ſecundum loca etiam de vnguibus fertur iudicium, nam quamuis eædem penitus maculæ ſint in duobus digitis diuerſarum manuum, non idem ſignificant, quę etiam ſi ſint in diuerſis digitis eiuſdem manus eaſdem indicant, animi vel corporis diſpoſitiones, & naturales habitus. Quod ergo loco differant ex his etiam eſt manifeſtum; diſtinguntur quoque ſecundum agere, et pati, quoniam alij ſunt robuſti, & apti ad labores tolerandos, & opera facienda, prout eorum fert natura, parati, et commodi, alij ex oppoſito ſunt imbelles, & propter mollitiem ad operationes digitorum iuuandas inepti, et inefficaces; Tot ergo videntur eſſe vnguium differentiæ, quas tactus, & viſus iudicare poteſt. Neque enim auditus, aut guſtus, aut odoratus de his fert iudicium, neque per ſe aut per accidens, vt puto, eſſe perſpicuum.

Quid ex vnguium inſpectione colligi poſſit. Cap. III.

COnſiderationem vnguium ſibi proponunt, & chyromantæ, & Phyſici, vel Medici; at longe diuerſo procedunt modo & alter ab altero diuerſam habet intentionem; Chyromantes ab obſeruationibus memorijs, & experientijs ſe procedere ait, Phyſicus ratione vtitur, & demonſtratione à ſigno ſumptas vſurpat, chyromantes de futuris contingentibus, & de fortuitis caſibus ſe poſſe multa aſſerere putat, ex aduerſo de his non cogitat Phyſicus, ſed ſigna naturalia excipiens, diſpoſitiones, & habitudines, ac propenſiones tum animi, tum corporis indagatur, & certis inditijs, quod res ita eſſe poſſit, affirmat, nihil tamen neceſſarium ponens, vt pote qui ſcit hominem liberum habere arbitrium, & inclinationes naturales ſuperare poſſe: Nemo enim eſt qui non miteſcere poſſit, dummodo culturæ patientem accomodet aurem. Et medio, & fine, cum differant chyromantici, & phyſici, putandum eſt has diſciplinas eſse toto genere diuerſas, planè igitur nomine ſcientiæ indigna eſt chyromantia, tum ratione finis, quem ſibi proponit, dum de futuris contingentibus certi aliquid aſſerere ſe putat, tum mediorum cum ea, vt diximus nullam in ſe probabilitatem habeant. Quid enim cognationis, & conſequentiæ reperitur, in hoc connexo: Callias habet circularem lineam cingentem primum nodum pollicis; ergo mortem oppetet violentam, & (vt aiunt) laqueo ſuffoca-

ſocabitur; Item Platoni cingulus Veneris interſectus eſt, ergo omni fœdiſſima Venere conſpurcatus tandem in carceribus diu detentus marceſcet; Et qui vniuerſalem propoſitionem pronunciabit, nullam veritatem agnoſcet; Nempe cui omni linea circularis primum pollicis oſſiculum perfecte circundabit laqueo ſuffocabitur; Quam cum quidam ſcriptor chyromantiæ aliqualiter tandem confirmare vellet, dicebat, quod ſicuti linea illum articulum circundat, ita laqueus collum; At Phyſicus naturam vnguium, & digitorum contemplans per illorum definitionem ad principia deueniet, cognitionemque cerebri, & oſſium habebit, quæ cum ſint partes ad conſtitutionem hominis requiſitæ, & ad inſtrumentorum compoſitionem veniant, neceſſe eſt, vt etiam ex inſtrumentorum contemplatione, quales ſint eorum operationes cognoſcat. Et quoniam in hac de vnguium ſignificatione, & methodo neceſſarium erit plures voces à chyromantia mutuare, operæ prætium meſacturum arbitror, ſi tum hæc explicuero; tum quid chyromantæ de vnguibus ſentiant paucis narrauero. Sic enim propoſitum meum facilius exequar, & curioſitati eorum ſatisfaciam, qui hæc, quantum vis falſa cognoſcere auent, & ſimul eorum vanitatem apparere manifeſtam ſentient.

Chyromantum de digitis, & maculis vnguium ſententia. Cap. IV.

Circa manum verſari chyromantiam ex nomine ipſo clarum eſt; dicitur enim chyromantia, quaſi manus cognitio, aut per manum diuinatio; loquitur chyromantes de vola, & lineis quæ in illa ſunt, loquitur de digitis, & vnguibus, & maculis, quæ in eis apparere ſolent, nos de lineis volæ nihil dicere oportet, de digitis quatenus illorum extrema ſunt vngues quid ſentiant, exponemus. Manum dextram oſtendere aiunt, fatum eorum, qui interdiu naſcuntur, ſiniſtram eorum, qui noctu ex vtero prodierunt; præter hæc digitorum radices, & digitos planetis attribuunt, Veneri pollicem aſſignant; Ioui indicem, medium Saturno, annularē Soli; Auricularem Mercurio. Pollicis partem inferiorem dicunt Veneri datam, ſuperiorem autē Marti aſſignant; & vti Mercurio ſuperiorem auricularis, ita inferiorem dant Lunæ; quare duo extremi digiti duos habent planetas, me-

dij vnum tantum; Alij tamen aliter hæc diſtribuunt, cum hæc ad libitum ſint ficta, & his nihil reſpondeat ex parte rei, nam Lunam ponunt in parte inferiori manus, & Martem in medio collocant, Nobis ſatis ſit hæc nomina ſupponere; Dextram manum continere proſperitates, ſiniſtrā infortunia portendere aiunt, liuidas maculas vocant ſaturninas, & plumbi naturam referre, & aquam à terra immunda paſſam indicare; Albæ ad Venerem reducuntur, & ad ſtannum, quod illius vocant metallum in his a chymicis aliquantiſper diffidentes, qui metalla ex argento viuo. & ſulphure generant. Roſeas Iouiales vocant, & ad naturam æris lucidi reducunt; Nigras Martiales, & ferreas: Mixtas Mercurio donant, & argento viuo; ſubcaſtaneas Soli, & auro, Lunæ quæ confractæ ſunt, & ex alio, & rubro colore vix apparente compoſitæ, & ad argentum referri dicunt; Præter hæc maxima eſt differentia ſi in principio in medio, aut in fine vnguis apparuerint maculæ, à dextris, à ſiniſtris, in ſuperficie, aut profundæ, in hoc item vel in illo digito: Item addunt radioſas eſſe primæ magnitudinis, & potentes valde; Non radioſas ſecundæ magnitudinis Stellas referre, prout in hoc vel illo vngue appareat Veneris, aut Iouis naturam repræſentare; Punctum referentes eſſe tertiæ magnitudinis, vix apparentes quartæ, & tantummodo effectum ſuum minari, at qui facile impediatur, ne ad finem perueniat; Hæc ſunt quæ à chyromantibus prædicantur, quæ cum nullam rationem nullamque obſeruationem, quæ fidem faciat, habeant, omnino ridicula iudicanda ſunt, & quæ à ſano homine explodantur omnino digna. His itaque omiſſis ad magis ſeria, aut ſaltem minus improbabilia veniamus, ſunt enim vngues opera naturæ, quæ Dei miniſtra eſt, quare non contemnendi.

De Maculis vnguium. *Cap. V.*

DE vnguibus inſtitus eſt ſermo, his accidit, vel puros eſſe, vel maculoſos, de vtriſque agamus, & quid ſint, & propter quid appareant; Dictum eſt vngues tendinum eſſe extremitates, atque hos ex neruis, & cartilaginibus ab oſſibus originem habentibus conflatos eſſe; Hi tunc ſecundum naturam diſpoſiti ſunt, & ſibi ſimiles, quando albi ſunt, & album facient vnguem, & ſi ad pituitam naturalem accedent, quæ aqua eſt, & albi, & lari erunt ſecundum ſe vngues, & quaſi laminæ cor-

neæ

neæ diaphani tranſparebunt; Et quoniam tranſparentes, naturam ſanguinis in ſubiecta carne exiſtentis oſtendent, quare & roſei apparebunt, at ſi aliquam ob cauſam retroceſſerit calor, & ſanguis, liuidi videntur vngues, idque euenire videmus ijs, qui vel vehementius frigent, vel frigida febre afficiuntur, vel prope ſunt moribundi, ac tandem qualis eſt ſubiectus humor, tales etiam apparent vngues, ſecundum partem mediam, quoniam illa magis diaphana eſt, quam radix, ſi quidem magis ſiccata, omne enim quod clarum, & aqueum cum ſit, quo magis ſiccatur, ſi modo læuigatum fuerit, aut eſt diaphanum, aut natum eſt lucem repercutere, & colorem, qui lumini mixtus leue corpus ferit; Ex his vt puto probabile eſt, nos poſſe cognoſcere quinam humores in corpore dominentur, neque ſolum vt nunc, ſed etiam ſimpliciter, & a primordio generationis. Nam & illorum principia ſunt in partibus ſeminalibus numerata. Nam tendines, atque nerui abſciſi non regenerantur, quod proprium eſt partium ſeminalium, purum itaque voco vnguem eum, qui nullam habent maculam, album præſertim circa mediam partem, in quo præualet pituita; rubeum ſi ſanguis dominatur, at ſi flaua bilis ſuperat, vnguis clarus, & lucens roſam imitabitur, in hoc à ſanguineo vngue differens; quod ſanguineus purpuram oſtendit, & refert; aſt bilis naturalis roſæ colorem foliorum exteriorem repreſentat Sed bilioſus vnguis, non habet eum alborem in radice, quem habet ſanguineus, & ad colorem lucidiorem accedit, bilis enim ignis naturam refert, qui & roſeus eſt, & lucidus, ſi vero liuidus eſt color, & fuſcus iam hoc atræ bilis eſt ſignum; De quro vngue, & cauſis colorum qui in ipſo apparent dictum eſt.

Nunc cauſas macularum ſcrutemur. Maculas alias eſſe magnas vel radioſas, quas chyromantæ ad Stellas fixas primæ, & ſecundæ magnitudinis referunt, alias minores, quas dicunt Stellas tertiæ, & quartæ magnitudinis, & vt cunque ad planetas reducunt; Earum numerus, ſecundum illos duodenarius eſt; Nunc cauſas perſequi conemur.

Ex quibus ſumus, ex iiſdem nos nutriri certum eſt, ex quattuor humoribus conſtamus, & hos eſſe corporum humanorum principia iam eſt in confeſſo, quare, & proximum nutrimentum tale eſſe putandum eſt, & quoniam in ea maſſa, quæ per venas meat, præualet ſanguis calidus, & humidus, & ob id purpureus, ideo in his qui ſecundum naturam bene diſpoſiti ſunt, in cute,

ſub

ſub vnguibus, & in corporis etiam aliis partibus apparet color ſub rubeus, quem iuncta ſanguini puro facit pituita. Hunc autem colorem, probabile eſt; accipere alimentum cum fuerit concoctum, & à facultate primum, ventriculi, deinde hepatis elaboratum; facit enim per elixationem plenam ventriculus chilum album, quæ enim elixantur edulia, plerunque videntur alba vt carnes vitulinæ, & ſuillæ; Attractus chilus per Meſaraicas venas ad hepar, ibi efficitur rubeus, nam quæ à calore ſicco patiuntur, qualis eſt, qui in iecore, illa rubeſcunt, ſi terræ & aquæ fuerint, ſic lateres dum coquuntur in fornacibus rubeſcunt, ſic omnia quæ ab igne ſicco vehementer patiuntur rubra fiunt, forte præter vtrunque genus plumbi, quoniam in ipſo eſt plurimum aquæ prohibentis paſſionem ab igne tentatam quare liquefactum non rubeſcit, vt aurum, & æs.

Cauſa coloris, & figura macularum. Cap. VI.

COlorum quæ in vnguibus reperiuntur cauſas exponere tentauimus, nunc de maculis macularumque paſſionibus aliquid dicendum; Apparent in partibus vnguium diuerſi aliquando colores, etiam à maculis diſtincti. Nam plerique vngues, & præſertim pollicis habent partem inferiorem, quæ radix dicitur, candidiorem, quando vt dictum eſt, humidior exiſtit, ſi quidem propinquior tendini, qui albus eſt quare minus tranſparet, neque lumen reflectit; Media pars quoniam cornea eſt, & ſiccior ideo magis tranſparet, carniſque & ſanguinis colorem, & proprietatem repreſentat, ſuprema cum præcæteris ſicciſſima ſit, & magis cornea, etiam magis oculis manifeſtat, quę ſub ipſa, aut in ipſa exiſtant; Inter qualitates quas immediate animaduertit oculus, ſunt macularum colores, & figuę. Primum igitur dicamus quid ipſę ſint, ex quibus fiunt, ſic enim eorum natura nobis innoteſcet; Dictum eſt corpus, noſtrique corporis partes nutriri ſanguine qui in vaſis reperitur, hic heterogeneus eſt, & diſſimilaris, ex quattuor primis humoribus conſtans, & cum membra diuerſa ſint, accidit etiam, quędam modo plus de humore bilioſo participare, alia pituitoſo ſanguine, alia demum melancholico magis gaudere, ſic ſplen atrum ad ſe trahit humorem, ſeroſum renes, pituitoſo delectatur ſanguine cerebrum, & partes membranoſæ; caro ſanguinem trahit, eoque bene nutritur; At quamuis vnum quodque membrum

brum, & corporis pars ſibi proprium, & congeneum trahat humorem, tamen quoniam cum alijs mixtus eſt, accidit quod non omnis in naturam, & ſubſtantiam attrahentis membri conuertatur, quare euenit, vt aliqua pars expellatur tanquam excrementum, ſunt igitur hæ, quæ in vngue viſuntur maculæ, partes excrementorum tertiæ concoctionis, quæ fit in tendine, & ad illius extremitatem, quæ vnguis dicitur, perueniētes illum ſignant; Et quoniam contingit aliquando fieri imperfectam etiam hanc tertiam coctionem, ob imperfectionem caloris partis, & eius debilitatem, hinc paruus quidam naſcitur flatus, qui ſi per cutis poros exiuerit, veſtigium illius in vngue non relinquit, at ſi de tendine non exeat, neque ab eius calore reſoluatur, creſcens vnguis cum fatulento illo excremento facit radioſam maculam, id enim opus eſt caloris debilis, vt generet flatus, qui in diuerſas partes diſtrahat, humorem cum quo iunctus eſt, hancque flatus operationem conſpicere licet, in bulliente aqua, & in nubibus leni vento agitatis. Quid ergo ſit macula, & quæ radioſa exiſtat, ex his patet.

Nunc colorum cauſas, & paſſionum, quas moſtrat in vnguibus viſus, ſcrutemur. Diximus chyromantas duodecim macularum paſsiones obſeruaſſe harum vna erat albedo; Quæ igitur ſunt harum albedinum cauſæ? Cum in tendine aliquid craſſioris pituitæ concoctionem, & applicationem, ſiue conuerſionem in ſubſtantiam tendinis effugerit, quaſi excrementum ad vltimas partes fertur, & ad vngues perueniens eas colore inficit albo ſuperficialiter, ſi contigerit in ſuperficie tendinis conſtitiſſe, profundiore ſi in altiori parte concepta fuerit; ſi pauca admodum fuerit materia pituitoſa, erit punctum referens macula, & ſi cum modico flatu conuicta radios habebit, at omni deſtituta flatu, carebit radijs, & quod in comætis videmus barbam facere, idem accidit in his radioſis maculis, barbatus fit comætes, quando quæ vritur materia, vel non eſt tota ſimul, ſed pars a calore diſſipatur, pars trahitur, vel cum materia combuſtibili ad eſt iniunctus flatus, qui calorem fugiens materiam diſpergit, ac diſſipat; ita his in maculis radioſis a modico flatu diſtracta materia facit radios, & ſi flatus continuitatem materiæ pituitoſæ ſoluerit, & diſtraxerit, fracta ſe ſe ofert macula, fuſca eſt quam ater humor producit, at ſi roſea fuerit à flaua bile naſcitur; rubra procedit à ſanguine; liuida eſt quæ actionem naturalis caloris fugit; neque enim noſtri corporis partes liueſcunt, niſi à calore fuerint

deſertæ, & propter hoc mortuorum liuida ſunt corpora, & vrina liuida ex Hippoc. mala eſt, & ſupra dictum eſt, vngues frigore liueſcere; peiorque habetur liuidus color in vrinis quam niger, quoniam ille caloris naturalis extintionem arguit, at niger à ſuperabundantia humoris atri poteſt cauſari. Colorem corticis caſtaneæ maturæ, aut Iecoris habent, quæ à ſanguine aſſato originem habuere. Mixtæ ſunt in quibus plures vno humores conueniſſe contingit. Quid igitur ſint huiuſmodi maculæ, & ex quibus, & à quibus, & quomodo fiant, & cur tales appareant ex dictis arbitror poſſe eſſe manifeſtom. Quare apparet etiam has nihil cum Ioue, aut Marte, & Stellis habere commune, neque vllam cum metallis conuenientiam, niſi eam communiſſimam, per quam omnia dicunt ſecundum materiam eſſe eadem, at ſecundum formam diuerſa.

Alia Vnguium accidentia quæ viſus mediate animaduertit. Cap. VII.

IN quærendis cauſis paſſionum, quæ vnguibus in eſſe videntur, ab his quæ primo, ac per ſe ab oculo cognoſcuntur incepimus, nam quæ viſus docet ea videntur eſſe notiora, a notioribus autem nobis incipiendum eſſe ſuppoſuimus. Præter has quædam etiam alia ſunt in vnguibus accidentia, quæ per colores cognoſcit viſus; nempe motum, quietem, continuitatem, numerum, & figuram, quæ ſolent, & communia vocari ſenſibilia, quoniam præter viſum, alij etiam ſenſus ab his obiectis ad actum mouentur, vngues mutari, & ſtare dicuntur, quoniam aliquando creſcunt, aliquando non, creſcunt in viuentibus, & in mortuis vſque ad certum tempus. In viuentibus creſcunt, & augentur, propter continuam appoſitionem, quæ fit a calore naturali, cum autem aliud pelli neceſſarium eſt, aliter enim rei non ſeruaretur forma, quæ certa materia, & magnitudine terminata continetur, in mortuis putredinalis calor in humidum agens viſcidum, & capillos, & vngues auget, donec conſumptus fuerit humor, & euanuerit calor, propter eandem cauſam accidit aliquibus ruri manentibus, quod vngues, & capilli magis creſcant, quam in vrbe degentibus, quoniam color naturalis ob motum, & ambientis aeris calidiorem diſpoſitionem robuſtior factus excrementa validius expellit, quodque ſit rure melior, & laudabilior aer, teſtatur Horatius dicens.

Noniſti

,,Noviſti ne locum potiorem rure beato?
,,Eſt vbi plus tepeant hyemes, vbi gratior aura.
,,Leniat, & rabiem canis, & momenta leonis
,,Cum ſemel accepit ſolem furibundus acutum?

Mouentur igitur vngues, & quæ in vnguibus ſunt maculæ, quoniam ipſi creſcunt, quoniam nutriuntur, & illis, illorumque principiis, fit continua appoſitio; Et quoniam motus auctionis non eſt continuus, neque vnus, ſed intercipitur quietibus, neceſſe eſt ergo per aliquod temporis ſpatium has maculas ſtare; præter enim motum cœli nullus eſt, qui continuus exiſtat.

Figura magnopere vnguium variatur, & vnius digiti vnguis ab altero aliquando valde diuerſa eſt. Alij enim recti ſunt, alij diſtorti, ſapiunt enim naturam tendinis à quo pendent, qui rectus fuerit, & minime ſiccatus, ſed multo abundauerit humore naturali pulchrum, rectum ſplendidum mollem habebit vnguem, ex aduerſo turpis erit vnguis, cum tendinis ſubſtantia, & alimentum fuerit turbidum, non bene coctum, & excrementis abundans frigidioribus, diſtortus vnguis, & in curuus apparet ob tendinis ſiccitatem, & propter hoc qui febre hectica laborant, ijs vngues in curuantur, quod & corio, & cartis hædinis, & corneis lamini nis ex nimio calore videmus accidere. In partem ſuperiorem conuertuntur vngues ijs, quorum vltimus digiti nodus, ſuperne inflexus eſt; id fieri probabile eſt, in his, quorum pars tendinis ſuperior facta eſt breuior; Memini me vidiſſe quendam, cui cum vulneratus fuiſſet index, poſt quam conualuit extremus articulus ſurſum verſus remanſit, & vnguis etiam eodem modo ſuperius incuruabatur; Qui vero plani ſunt, & æquales, naturam ſui tendinis referunt, cuius extremitates ſunt; docentque ipſum tendinem magnopere eſſe ſecundum naturam, & ſibi æqualem, ſtriatos, coſtis, & canaliculos habentes, & vndulatos, male affectum docent eſſe tendinem, nam hi canaliculi, & ſtriæ proueniunt eo quod partes tendinis ſuperiores ſicciores ſunt, & ideo hæ paſſiones in ſenilibus vnguibus ſpectantur, raro in pueris, aut adoleſcentibus; idem de vndulatis, & vndas imitantibus ſentiendum, putandumque eſt has vndationes à flatibus propter debilitatem caloris naturalis in tendine procreari, & in vnguibus etiam apparere. Nodoſi vocantur vngues, in quibus quædam eminentiæ, & quaſi verucæ paruæ apparent idque etiam cauſatur à tendine, qui non æqualiter ſibi apponit nutrimentum, & cuius quædam partes ſunt craſſiores, & ſicciores quædam minus, à craſ-

à craſſioribus, cum exra ſicciores fiant, naſcuntur nodi, & ſupradicta inæqualitas. Hæc & eius modi paſſiones, ac diuerſitates figurarum generat natura tendinis, ſecundum quod illa diuerſimode eſt affecta. Cadit etiam diuerſitas in potentias vnguium, per quas faciunt ſuas naturales operationes; ſi enim potenter exercent ſuum opus, robuſtos arguunt tendines,& horum tendinum robore ſuam potentiam firmant; Quod ſi flacidi, & debiles fuerint digitorum tendines paucum erit indigitis robur, & munus ſuum male exercebunt vngues,qui ab his principium ſumunt; Hæc omnia per viſum cognoſcuntur, vel ſaltem non ſine viſu; Et ab operationibus ad eorundem potentias cognoſcendas peruenimus; Quæ igitur fiunt, quæ per oculos cognoſcuntur paſſiones, & propter quid ſint ex his patere arbitror.

Paſſionum ſecundum quantitatem, & ſubſtantiam in exiſtentium cauſæ. Cap. VIII.

COgnoſcit etiam viſus quantitatem, ſiue illa ſit continuá,ſiue diſcreta, eſt enim hæc ex communibus ſenſibilibus; diſcretum eſt corpus, cuius partes diſſitæ ſunt, continuum, cuius conſitæ, & coniunctæ reperiuntur; Magni vngues ſecundum longitudinem,& latitudinem à magnis tendinibus naſcuntur, etiam magna oſſa, arguunt; quare & robuſtum quidem corpus,ſed non admodum agile, quinimò ſegne, & iners; ex aduerſo parui vngues paruitatem demonſtrant tendinum, à quibus tales cauſantur, ſic enim ab effectu, ad cauſæ notionem peruenimus, longi, & ſtricti à debili procedunt tendine, & aliquanto magis ſicco, quam oporteret; ſtringens enim frigus debilem, & mollem tendinem longumque facit, & ſtrictum; latus magis quam extenſus, & longus eandem habet cauſam nempe tendinis latitudinem, & propter hoc etiam quorum tales ſunt vngues, tendines, non admodum ſunt robuſti, ſed molles, & qui diu bracchia, & manus mouere non poſſint; fiſſos naturaliter facit vngues tendinis ſiccitas, & craſſities, videmus enim craſſiora ligna cum ſiccantur plerunque findi, & ſpinalis medulla quo fit ſiccior, eo in plures, & tenuiores finditur neruos, qui funiculos imitantur, quod ſi naturalis aderit humor, clarum eſt, quod continui apparebunt, humido enim heterogenea continuari, & partes ſimul adiungi perſpicuum eſt. Reſtat vt ad eas quæ cognoſcit tactus, quæque

vo-

vocantur à Medicis eſſe in ſubſtantia rei, deueniamus. Præter quattuor primas qualitates, tangibiles, quas dicit Ariſtoteles elementorum, & mixtorum, quæ ſunt, apud nos, eſſe principia, ſequuntur quæ ex his naſcuntur ſecundæ qualitates, & inter has primæ partes dantur, duro, & molli; durum ad ſiccitatem referunt, molle ad humiditatem. Durum dicitur quod difficulter ſecari, ac diuidi poteſt, & quod tangenti non cedit, vt marmor, & ferrum; Molle autem, quod tangenti cædit, & facilè diuidi poteſt. Duri igitur vngues duritiem, & ſoliditatem tendinum à quibus naſcuntur arguunt, quare, & robuſti ſunt, & robur etiam manus indicant. Talem fuiſſe Adrianum Imperatorem probabile eſt, qui digito macula, & pira quantumuis dura, & immatura perterebrabat. Tales erant etiam Maſſimini vngues, qui ſui temporis robuſtiſſimus miles poterat currentes equos, & rhedam ſiſtere, & equum in medio curſu per caudam apprenſum tenere; Ex aduersò molles tendinum mollitiem, & virium infirmitatem notant, quare in mulieribus delicatis, vt plurimum tales exiſtunt vngues, & quoniam eorum tendines multum humoris continent, ideo lucidi, & eburnei ſpectantur, & quoniam molles, & lucidi, etiam tenues, ſunt, & propter tenuitatem diaphani, & tranſparentes exiſtunt; & quoniam tenues ideo flexibiles, quare neque facilè franguntur, cui enim mixto ineſt multus humor illud & flectitur, & non facilè franguntur, quod in ramis ſalignis viridibus facillimè conſpicimus. Et quoniam oppoſitorum contingit oppoſitas eſſe cauſas, & differentias craſsi, & denſi vngues, & obſcuri oppoſitam arguunt tendinum diſpoſitionem, opacitas, & obſcuritas, & pallor indicant multum atræbilis, & terræ in tendine prædominari, quare & inflexibilis eſt vnguis, & craſſus, & denſus, paſſiones etenim hæ ſunt, quæ in mixtis a terra, aut ab eo, quod terræ proportionatum eſt, inferuntur. Quæ autem fiunt à natura, ſi eadem ſunt ſecundum ſpeciem, ab iiſdem fiunt cauſis, ſi ſimilia, ſimiles habent cauſas, & principia. Acutus vnguis indicat tendinem eſſe temperamenti bilioſi, & audacem in aggrediendis actionibus virum qui tamen facilè fatigetur, & deſiſtat, hæc enim natura eſt flammæ, quæ cum maxime ſit actiua, minima aura modo ad hanc, modo ad oppoſitam conuoluitur partem. Nec ſtare poteſt, quoniam eius eſſe conſiſtit in fieri, & eatenus eſt, quatenus fit, & cum facta eſt, non exiſtit amplius flamma. Inter acutos, & aptos ad feriendum, & ad infligenda vulnera in ho-

minu.n ora, quidam fragiles ſunt, & finduntur, quoniam à ſicciori ortum habent materia, minus fragiles, qui minus ſicci, in his quidam ſuam à ſanguine, alij à pituita trahunt humiditatem qua flecti, non frangi poſſunt, obtuſi oppoſita ratione ſe habent, & frigidum, & humidum eſſe docent tendinem, cuius cauſa tales exiſtunt vngues; Aſperi, & ſcabioſi fiunt ſi tendinis erit ſimilis diſpoſitio, nempe ſi in ſuperficie præualuerit terreſtris quædam ſiccitas; quæ facit vnguem ita ſcabroſum, vt tangenti omnino videntur ſimilis ligno male dolato, aut nunc primum à ſerra diuiſo, quod ſi læuigatus apparet, acceptum id referet à bile, cum pituita, aut cum ſanguine iuncta; erit ſanguis ſi rubeum referet vnguis colorem, ſi eburneum pituita.

Quæ vero vnguibus, & maculis ex loco differentiæ accidunt, ex ſe ſatis clare poſſunt cognoſci. Nam quæ ſunt manus, & digitorum ſiniſtræ paſſiones, & accidentia ſunt tenuiora, & debiliora, quam quæ dextræ; minus enim mouetur ſiniſtra, quare, & minus habet caloris, & ideo minus attrahit nutrimenti, quam dextra. & quod minimi digiti ſint, & minores vngues, pollicis maiores, cauſa eſt quoniam maior, & robuſtior eſt pollicis tendo quam auricularis, & teretes digiti orbicularem habent figuram vnguium, & ſi formam quadrangulam ſortiti ſunt digiti, propter eandem cauſam, quadrangularem induent vngues formam, locatum enim quod in loco generatur, & a loco natum eſt conſeruari, loci formam, & figuram repræſentare non eſt abſurdum.

De ſignificationibus Vnguium. Cap. IX.

HActenus vngues, & earum maculas contemplantes quid ſint, & quales, prout ſunt effectus tendinum, declarare tentauimus; & eorum cauſas, ac differentias attulimus. Nunc eaſdem maculas, & vngues, vt ſigna aggrediamur, quid nempe ſignificant, cum tales, & tantæ, & in tali loco, aut digito exiſtent. Et quoniam apud Phyſicum aliud ſignificant, aliud apud Chyromantem, vt differentia harum cognitionum, & alterius vanitas appareat. Quid talis vnguis, aut paſſio, aut macula, apud vtrumque portendat breuiſſime afferre conabor.

Quo rationabiliter vngues aliquid ſignificent, ſic poteſt perſuaderi, vngues ſunt extrema tendinum, hi conſtant ex neruis, & ligamentis nerui principium ſumunt à cerebro. Hoc membrum

brum motus, & ſenſus cauſa eſt, & origo, ſi autem omnia orta naturam ſuorum principiorum repræſentant, poterimus igitur ex vnguibus temperamentum cerebri cognoſcere, & ex hac cognitione ſenſuum determinare diſpoſitionem, & motus localis, & volontarij paſſiones, & differentias, concurrunt ligamenta ad conſtitutionem tendinum, & hæc ab oſſibus originem trahunt, oſſa totius corporis ſunt fundamentum, & eorum temperies roboris, aut debilitatis cauſa eſt præcipua, ergo hæc etiam qualitas per vngues manifeſtabitur, ſic igitur differentias ſenſuum, & localis motus, per cerebri temperiem venabimur, & hanc per neruos neruorumque extrema, quæ ſunt vngues ſcrutabimur; chyromantæ cum manus ſigna, & lineas, & digitos ſibi ſubijciant, & totum conſiderantes, etiam partes, & particulas, & earum accidentia teneantur contemplari de vnguibus, & vnguium maculis mentionem faciunt, differunt tamen quod Phyſicus aliquam, chyromantes nullam ſui dicti rationem affert.

Ex vnguium inſpectione aliquid inferri. Cap. X.

QVod autem Phyſicus proceſſus, ac diſcurſus aliquid rationabiliter colligere, & hominis paſſiones, propenſionesq; non nullas docere poſſit, credet vtique aliquis; ſi animæ, & corporis communes putauerit eſſe paſſiones mixti, animamque Socratis, ab anima Platonis ſecundum ſe, & a materia ſeiunctam nequaquam differre ſpecie, & vtriuſque eaſdem omnino eſſe potentias, & primas, & ſecundas, quod autem Socratis quædam potentiæ ſint propinquiores actui, & perfectioni, quàm illæ quæ ſunt Platonis, & egeant minori labore quam quæ Socratis, id accidit ratione membrorum, quæ magis apta, & minus ad ſua munera peragenda ſecundum quod magis, aut minus elaborata fuere, quod contingit propter materiam ex qua conſtituta ſunt, quæ materia talis eſt magis, aut minus diſpoſita ad ſuſcipiendam vltimam membri perfectionem, ſecundum quod à primordio hanc, vel illam ſuſcepit temperiem, Hac ergo membri temperie cognita, quam cognoſcimus, dum non latebit ſimilarium corporum membra conſtituentium mixtio, etiam membri illius propenſionem, facilitatem, & difficultatem in operatione naturali cognoſcemus; Totaque ratio hæc apparebit, ſi conſideremus oculum, oculique ſtructuram, & partium, quæ illum ſtatuunt, temperiem, ex quo apparebit, quod ſimulatque cognita

fue-

fuerit oculi, & partium illum conſtituentium temperies, cur & Socrates ſit luſcioſus, Plato optimè videat, hic eminus, ille cominus, fiet manifeſtum. Aſpicio oculum Socratis, video illum turbidum, ex hoc in humoribus, & præcipue in chriſtallino coniijcio terram præualere, cum aqua mediocriter elaboratam, confirmor in opinione, quoniam video non facile in videndo fatigari, eminus tamen non aſpicere valde, cum autem hanc temperiem cognoſcam, & terræ proprietates colligam; quas cum cognoſcam, iam mihi fiet manifeſtum cur Socrates ſit luſcioſus, cur non videat eminus, cur multum requirat lumis, vt cernat, & quod noctu nihil penitus valeat videre; Hic ergo erit procedendi methodus à ſenſibilibus vnguium paſſionibus, & per reſolutionem procedere ad ſimilarium partium cognoſcendam mixtionem, quam temperiem vocant, ab hac ad partis diſpoſitionem, ad potentiam, & obiectum circa quod agere, aut à quo pati nata eſt potentia, dum nota fiet potentia, etiam & operatio illius cognoſcetur; Natura enim lapidis eſt ferri deorſum, ſic homines, cæteraque animalia naturalem ſuam propenſionem facile ſequuntur, quæ principium eſt operationis, ex qua naſcitur habitus, ſecundum quem tales dicimur, & quoniam operationes ſequuntur illos qui operantur, quales hæ ſunt, talis homo & qualis homo, talis eſt eius conditio, reputatioque, & fortuna; ex quo vnuſquiſque ſuæ fortunę Faber dicitur. Ab vnguibus vnguiumque paſſionibus ad inquirendam cerebri, & oſſium generationem, aut melius loquendo mixtionem, ac temperiem procedemus, & qui nam humores prædominentur, qui ſecundum, & tertium locum teneant in mixtione ſcrutabimur, quare & nobis innoteſcent ad quas actiones magis, aut minus propenſæ ſint potentiæ, & qualitates cerebri. Quare manifeſtum eſt quod alias probare tentauimus, formam, potentias, & virtutes nobis afferre, materiam vero potentiarum diſpoſitiones cauſare, ſecundum quod magis, aut minus impedit illas; Nam defectus, omnis, & imperfectionis cauſa eſt materia, ſicuti perfectionis forma, non quidem quatenus eſt materia, ſed quatenus illi ſemper annexa eſt priuatio, quam aliquando efficiens formam totaliter expellere non poteſt; quod ergo rationabilis ſit hic proceſſus, patet. Neque de futuris euentibus ſingularibus quidquam definire prætendit Phyſicus, ſicuti facit chyromantes, ſed res naturales, & paſſiones à natura prouenientes licet abſconditas, & obſcuras, per ea quæ nota ſunt conſequi ſe poſſe autumat. Neque vt ar-

bitror, eſt ridendus, qui per vngues, & vnguium maculas propenſiones animi poſſe cognoſcere ſibi perſuadet, ſi conſiderabimus, quomodo canes non ſolum per ferarum veſtigia, ſed per odorem quem in vijs eorum Domini reliquerunt, rebus nobis omnino ignotis, hi dominos, illi feras inueſtigent, & tandem reperiant: Neque enim putandum eſt, ſi quid a nobis ignoratur, illud à nemine ſciri poſſe, nam id eſſet nimis magnifice, & arroganter de ſe ipſo ſentire. At qui animum aduerterint ad cornices, ranas, hyrundines, & formicas longè illis ſe imperitiores iudicabunt, aiunt enim dum iſtat pluuia quod tunc cornix plena pluuium vocat improba voce.

,, *Et ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena;*
,, *Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.*

Extrudunt formicæ oua, ad ſua cubilia properant apes, & veſpę dum inſtat imber, quem quoniam illi mirabiles viri non ſentiunt, neque præſentire valent, dicendum ne erit non eſſe futurum? Veritatis vbique imagines ſunt, & veſtigia, & omnia quandam inter ſe coniunctionem habent. Hæc maiorem illa minorem, ſed non cuilibet datum eſt adire corinthum.

,, *Sedit qui timuit, ne non ſuccederet.*

Inquit Horatius. At qui peruenit feciſſe viriliter, eſt credendum, quod ſi non peruenit in magnis voluiſſe ſatis ſit.

Durarum, & mollium vnguium ſignificationes. Cap. XI.

HIs explicatis quæ quandam præparationis rationem habere videbantur, ad ea quę a principio propoſuimus examinanda veniamus; Hæc duo iam erant, alterum, quid vnguium differentiæ, & alterum, quid portenderent maculæ in vnguibus apparentes, atque hæc ſecundum methodum phyſicam, hoc eſt rationabilem, & cum ſecundum naturam ſit ſubſtantia accidentibus prior, ab his paſſionibus, quas Medici vocant ſubſtantiales originem ſumemus, eas nimirum, quæ immediate primas qualitates tangibiles ſequuntur, conſiderabimus; Hæ ſunt, ex Ariſtotele quarto Meteor. durum, & molle, quorum prius ad ſiccitatem, poſterius ad humiditatem reducitur; Duri vngues ſunt dupliciter aut per ſe, & ſecundum naturam, aut ex accidenti propter laborem, & vitæ, ac ciborum genus, aut ætatem, aut morbum. Si durus naturaliter eſt vnguis, ergo & durus tendo, ergo multum cartilaginis, & minus nerui in compoſitione a pri-

mordio in ſe habuit, ergo probabile eſt oſſa eſſe magna dura, & ſolida, aſt hæc indicant præualere naturalem in corpore melancholiam craſſiorem nempe ſanguinis, & magis ubroſam partem calore, & ſpiritibus plenam; Talemque dicemus fuiſſe Herculem, Talem Thæſeum, & Aiacem; Quos licet ingenti animo, & iniuncti viribus eſſent, ab atra bile tamen fuiſſe aliquando exagitatos legitur, cum ſcilicet maiorem quam oportet, conceperit calorem; ſi ergo in homine præualet ſiccitas, & melancholia, quam naturalem vocant, ſecundum corpus erit robuſtus, & ad labores ſuſtinendos natus, at ſecundum animus, duræ ceruicis homo, & qui difficile credat, & cum crediderit difficilius deponat ſuam opinionem, ſiccitatis terræ hæc eſt natura, vt impreſſiones difficulter ſuſcipiat, ſuſceptas diutius teneat; Hic incantationibus, & ſuperſtitionibus facilè capietur, quoniã credulus eſt, in his quæ ſub ſenſu non cadunt, ad hæc enim ſe habet vt tabula noua, in qua nihil eſt pictum, neque enim ingenium habet acutum, quod flaua bilis ſuppeditat, dum mediocriter agitata incaleſcit.

Sanguis autem melancholicus craſſus eſt, quare, & craſſos generat ſpiritus. Et ſi contigerit hos in caleſcere plus iuſto, tunc homines in furias ruunt; crudeles, & terribiles apparent, & huiuſmodi vngues vt ait Iuuenalis.

Hiſpida membra nigra, & duræ per brachia ſetæ promittunt atrocem animum, & qualem aiunt eſſe Aegyptiorum in v ctorijs, intolerabilem in fortuna proſpera, in aduerſa longe fœminarum viliorem, quod de quibuſdam etiam populis noſtri ſeculi audiui, & legi paſſim dici, victores eſſe plus quam viros, victos minus quam fœminas; Morbis ſubiecti erunt hi, quorum tales ſunt vngues, qui ab atra bile creari ſolent, tum interni, tum in cute, nam, & febres quartanas facile patientur, & lepram, & carcinomata, & hæc, atque alia huiuſmodi. Item quales ſint erga diuina, & quales in ſe ipſis, reſpectu proprij corporis: quales ſoleant erga alios eſſe, paucis percurramus; Melancholici domeſticos parum amant; amor calorem dicit, & melancholici frigidi, externos, & ſe ipſis maiores honorant, neque illis repugnare audent, non quod ament ſed quoniam timidi ſunt, at ſi humor incaluerit, audaciores alijs efficiuntur, & ſi iram conceperint, acerbiſsimam ſeruant, neque eam deponunt niſi aut vltionem ſumpſerint, aut poſt longiſsimum tempus, ferrum enim cum in caluerit, diu ardorem conſeruat; & quoniam ſicci ſunt,

& ſic-

& ſiccitas ab alijs rebus, res alias ſeparat, ac proprio termino terminat, hinc ſequitur vt inhumani, inciuiles, & ruſtici videantur, putandum tamen eſt illos veraces eſſe, & non libenter homines decipere, quoniam eorum phantaſia ſicca eſt, ſiccum non facilè recipit externas, & varias impreſsiones, & imagines quas ſanguis, & bilis ſuggerunt; ſed quas habet diutius ſeruat. Mendax autem malè memor eſt, neque eadem ſemper dicit; Has & huiuſmodi proprietates, ſeu propenſiones habere probabile eſt, hiquorum duri ſunt vngues, durique tendines, quin etiam continget horum duram eſſe, & craſſam cerebri ſubſtantiam, quare & difficilè per illam tranſmeare ſpiritus, & ſcientijs, ſpeculationibus, & ſubtilitatibus eſſe ineptos. Neque ſolum hoc illis accidit, ſed aut deſpiciunt ſcientes, & litteratos, aut niſi deſpexerint, non tamen in ipſis aliquid admirabilis, & laude digni eſſe credent, ex aduerſo quorum vngues molles ſunt, & læues, flexiles, illos leſque, & tenues ad fœminas referimus, timidique, & imbelles erunt, & ſuperſtitioſi, & honorum cupidi, & auari, frigidioris enim, & humidioris cerebri naturam indicant, & quoniam hanc habent naturalem frigiditatem cerebri, ideo timidiores ſunt, & quoniam ſpiritus tenuiores, ac materia cerebri ſubtilior, ideo etiam ambitioſi, & ingenioſi ſunt, frigiditas timorem inducit, timoris filia eſt auaritia, & perſpicatia, & calliditas, nec non & mendacium, timent enim auari ſemper ne egeant, & qua ratione ſuæ cupiditati, & timori ſuccurrant, continue cogitant, & hoc eſt quod aſtutiam, & ex aſtutia ſuggerit mendacium, & ſemper ſe egere arbitrantur, & quoniam ſunt læues id docet humiditatem præualere, quæ mollitiei eſt cauſa, & propterea quod cerebri materia ſubtilis, ac tenuis eſt, ideo dant aures omnibus, vt etiam iudicentur creduli, ſunt etiam inſtabiles, et qui fidem non ſeruent, & quibus credere, vel iuratis non poſſis; humidi enim proprium eſt alienas, et externas qualitates promptè ſuſcipere, et promptè deponere ſuſceptas.

Quale dicatur ex vnguibus præſagium. Cap. XII.

NOn putandum eſt autem, quod ſimulatque aliquis vngues molles, aut duros habuerit, illum neceſſario eſſe talem, qualem diximus, etiam ſi vnus, & alter talis apparuerit, ſi quidem vna hyrundo non facit ver, et teſtis ſolitarius non putatur plene probare; oportet plura ſigna concurrere ad hoc vt ſecure

aliquid aſſeri poſſit; Quin neque id ſufficit, quoniam educatio, lex, conſuetudo, ſodalitia, regio, et quam plura alia ſunt, quæ nos, naturamque noſtram peruertunt, et alterant; Et quidquid a Phyſico, ſiue Phyſiognomo enuntiatur de habitibus, et virtutibus, et vitijs non aſſeritur, ſed tantum dicitur, Socratem habere propenſionem ad hæc, vel illa vitia, virtutes, non dum tamen habitum acquiſiſſe; E qui plurimum temperamento tribuunt, non puto, id ex vnguium inſpectione perfecte cognoſcere poſſe, et dato quod per vngues cerebri cognitio haberetur, non ſufficeret, ad habendam temperiem totius corporis Socratis; cum et cor, et hepar ſuas ſibi vendicent partes, neque teſtes omnino ſint inutiles ad vniuerſalis temperamenti conſtitutionem, cum videamus eunuchos, et euiratos in corporis fœminilis naturam mutari. Verum enim vero neque ego valde in nobis poſſe temperamentum arbitror. Hoc enim potius hominis eſſe videtur materiale principium, quam formale, formæ autem tribuuntur operationes, quarum ipſa principium eſt, dicitur enim natura quæ cauſa motus eſt per ſe, et primo. Et dato quod temperies ſaperet aliquid formale, profecto ſimilarium partium non autem organicarum eſſet forma, at organa, ſiuè membra propriè ſunt principia operationum inſtrumentalia, et proceſſus hic eſt, vt ex prima materia quæ pura potentia eſt, fiant elementa, ex elementis ſimilaria corpora, ex his diſſimilaria, et organica, quæ deinde certarum operationum cum ſint præcipua inſtrumenta ex harum iteratione generantur in nobis habitus, per quos deinde dicimur tales, ex quibus apparet ſi quid actionis nobis ſuppeditat temperies, illud et materiale eſt, et valdè remotum: Quod ſi temperies materiam dicit potius quam formam, et ſi quam ſignificat eam remotam infert; et forma magis dicitur natura, quam materia, manifeſtum eſt temperamento non omnia eſſe tribuenda, quod tamen quibuſdam, et iis doctiſſimis viris valdè probabatur; Quod ſi quis intellectum, qui vel eſt forma humana, vel eius portio, contemplabitur, quem ponunt eſſe puram potentiam, et nihil actu, profecto cognoſcet temperiem parum vel nihil in homine valere, quoniam ſi ad aliquam partem contradictionis magis inclinatus foret non eſſet pura potentia, quemadmodum ſuppoſitum eſt. Quare non magis hoc quam illud magis cognoſcet, quare neque ad hoc, quam ad oppoſitum propenſior, erit appetitus, ſi quidem nihil appetitur niſi cognoſcatur, neque cognoſcitur ab homine quid quam

ſine intellectu, qui eminenter continet omnes inferiores potentias, ſicuti moneta aurea vna plurimas argenteas, et æneas comprendit; Quod ſi quid quam videris, aut audieris neque viſa, aut audita intellexeris, niſi illis quoque mentem adhibueris, certum eſt, neque appetitus excitabitur, neque localis motus in nobis incipiet præſertim, niſi forte dormiuerimus, aut mente non conſtemus. Quam parum igitur credendum ſit temperamento, et longe minus vnguibus, ex his manifeſtum, quoniam omnis noſtra diſpoſitio, habitus, atque actio, et electio extrinſecus habet ortum, neque magis anima noſtra ad hæc, quam ad oppoſita diſponitur; Quod ſi videatur difficile, vt credatur, cum doceat experientia quoſdam iiſdem auditis conuitijs, ridere, alios vehementer iraſci, cumque idem obiectum eandem ſpecie potentiam diuerſimode afficiat, neceſſarium eſt illam eſſe diuerſam, et cum hæc diuerſitas non ſit ſecundum formam oportet eſſe ſecundum materiam, atque eam non remotam, ſed ita affectam, quam dicimus temperamentum, accidere enim videtur homini, quod gladio, qui quamuis ſit *ferreus*, et habeat aciem ſubtiliſſimam, attamen bene non ſecabit, ſi nimis mollis ſit materiæ ferreæ temperies, ex qua conſtat; His puto reſpondendum eſſe; Certiſſimum eſſe, quod nihil in mente reperitur, quod idem non fuerit in ſenſu, idque mens recepit, vel per ſenſum, vel non ſine ſenſu, ſed quæ in noſtra mente, atque animo exiſtunt alia nobis animaduertentibus veniunt, alia ſenſim, et inſenſibiliter obrepunt; talis eſt ſpecies idiomatis, quo vtimur, non quidem inuitis, attamen non aduertentibus accidit loqui hetruſce, aut Italice; et qui propter ſodalitia ad vinum, et venerem plus æquo videtur factus propenſus, ille tamen talem ſubire ſenſit propenſionem, adeo enim a teneris aſſueſcere plurimum eſt: Quidam igitur mores et habitus, ita ſenſim, et immanifeſte nobis adueniunt, quidam alij ceu ſcientiæ, et artes volentibus, et ſentientibus accedunt, cui ſententiæ aſſentiunt etiam diuina eloquentia, quæ dicunt, *ſi cum bono verſaberis bonus eris, ſi cum prauo peruerteris*. Sicuti fumanti candelæ faciliime ignis accenditur, ita puerorum ætas mores, et actiones, quas facere viderit, etiam ſi non aduertit imitatur; Imitatio enim eſt ſpecies quædam perfectionis noſtri intellectus tentantis de illa ſua pura potentia ad aliquem actum exire. Quod igitur eadem contumelia vehementer hic iraſcatur, alter rideat, cauſa eſt diuerſa diſpoſitio, aut habitus, ſenſim, et ſine ſenſu generatus. Non ob id tamen negarem

quin

quin temperamento aliquid, non tamen omnia, ſint concedenda.

Quid aliæ tactiles vnguium indicent differentiæ. Cap. XIII.

SEd iam ad partem alteram ſuſcepti negotij, aut ioci reuertamur, & quid de vnguibus dixerint chyromantæ duris, atq; mollibus, referamus, ab his tamen non expectanda eſt ſuorum dictorum confirmatio, quoniam neque rationem, neque experientiam habent, quibus ſua placita adſtruant; Hæc autem à me afferuntur, vt ab horum ſuperſtitionibus, & præſtigijs animi noſtri ſoluantur, ne vè relicta luce tenebras amplectamur. Duros vngues aiunt eſſe proprios hominum obſtinatorum, & crudelium, quodque erunt homicidæ, & præcipue ſæuient in vxores, fratres, & domeſticos, quod mortem violentam ſubibunt, quod latrocinia exercebunt; Quod ſunt impij, & parum admodum religioſi, quales dicunt eſſe pyratas, & maritimos milites; ſi molles fuerint vngues in maſculo, præ poſteræ libidini dabit operam, ſi fuerit mulier, impudica fiet meretrix, et à propinquis, ſuam turpitudinem pati non potentibus occidetur, multos illa habebit amaſios, multos amabit, et propter ſuam laſciuiam ad inopiam redigetur, ſæpiſſimeque decipietur, neminem amabit pudice, non filios non fratres, non maritos, quos putabit propter ſua vitia ſibi infeſtos; Hæc illi nullam rationem adhibentes pro certis aſſerunt. Si autem phyſico, aut phyſiognomo, rationem audienti, raritas, et tenuitas vnguium, aut his oppoſita ſe ſe obtulerint; item acumen, vel obtuſitas, ſuis innixi principijs aliquid forte dicere poterunt; Raritas, et tenuitas dominantis flauæ bilis in corporis temperie ſunt inditia, tendines igitur rari, et tenues, propter raritatem multos admittunt ſpiritus, quare in principio actionum ad agendum ſunt paratiſſimi, at cito deficiunt; propter raritatem enim facilè labuntur abeuntibus ſpiritibus membra concidunt, et vis omnis reſoluitur, propter raritatem, ijdem indicant cerebri tenuem eſſe materiam, et apprimè mollem, aptiſſimam igitur ad patiendum, igitur horum exquiſitus erit ſenſus, et mens apta ad intellectiones, et ſcientias, nam, et caro erit mollis, quæ vt ait Ariſtoteles ſignificat mentis aptitudinem; ijdem etiam prompti ad iram erunt, qui tamen facilè placentur, qualem, putandum eſt, fuiſſe Ho-

ratium qui aiebat, ſe iraſci celerem, tamen vt placabilis eſſet; craſſi vngues, et denſi oppoſitum deſignabunt, et melancholiam dominari per ſe ferunt, craſſumque ſanguinem, et ſubſtantiam cerebri, craſſiorem eſſe, quare, et rude arguit ingenium, et durum, etiam hominem ad parendum potius, quam ad imperandum natum, qui facilè decipi poſſit, non admodum iracundum; ſed ſi iraſcatur, diuturnam ſeruet iram, materia enim dura difficile externas ſuſcipit impreſſiones, ſuſceptas diuturno retinet tempore; Notandum tamen diſpoſitiones, et qualitates melancholiæ adeo eſſe diuerſas, vt difficilè ſit illius ſpecies, et omnes effectus recenſere, et profecto videtur eſſe omnino terræ ſimilem, nam vt multæ ſunt ſpecies terræ, quarum aliæ ſunt fertiles, aliæ ſteriles, nigræ, albæ, rubræ, ſalſæ, omni ſapore carentes, arenoſæ, limoſæ, et aliæ, atque aliç, ita vix poterit effectus melancholicos aliquis toto vitæ tempore ſuæ enumerare, *ſi lingua centum ſint, oraque centum, ferreaque vox*, (vt ait Virgil.) poſſet omnes delirij comprendere ſpecies, quas humor hic pro ſua diuerſa diſpoſitione, & habitudine quam habet cum alijs, cauſat, omnes delirant, qui a iquantiſper, et aliquando à recto limitè rationis recedunt. At puto nullos eſſe, quibus aliquando non acciderit errare, cum ſciamus etiam iuſtos, bonos, et prudentes ſepties in die cadere. Aſperos voco vngues quos ſi tetigeris, ſcabroſos ſenties, et ſimiles ligno male dolato, in his apparet exiſtere aquam terræ mixtam à calore paſſam, ſic enim fit in corporibus ſimilaribus ſcabroſitas, cum pars ſuperior luti inæqualiter à calore patitur. Quod ſi aſperitas inæqualitatem caloris arguit in agendo, et vires non erunt ſibi diſſimiles, quæ à tendinum pendent natura, et cerebrum, quod originem diximus neruorum huius ſcabroſitatis partem non paruam habere probabile eſt, et ſi ſcabroſum, et inæquale fuerit cerebrum, homo non ſibi conſtabit, et irreſolutus erit in ſuis actionibus, et orationibus, et magnam difficultatem in explicandis ſuis conceptibus ſentiet, neque minus difficultatis experietur in intelligendo ea, quæ ab alijs dicentur, differunt enim inter ſe parum, ingenium rude, et aſperum, ſicuti etiam ſimilia ſunt craſſa, et obtuſa ingenia, in quibus neque iudicium eſt, neque perſpicacia vlla; Aſpero leuigatum opponitur, quod mollitiem, et æqualitatem per ſe fert, qualem in elaborato videmus ebore, fœminarum hi ſunt vngues, et hominum, qui molles habent carnes, et miti ſunt ingenio præditi, et ſibi conſtantes, cordati et viri qui

poſ-

poſſint obire munia recto more, nam ſunt amabiles, et boni viri, mollities enim, et læuitas hæc naſcitur a ſanguine cum mediocri pituita, et ea naturali, commixto, aerem enim referre, et aquam dicimus hos duos naturales humores, hæc duo elementa cum miſcentur, vt apparet in bullis, et fluctibus faciunt rem æqualem, et læuigatam. Vnde etiam hac de cauſa noctu videmus lucere ligna putrida, quoniam non parum aeris cum aqua illi albo ligno ſuper eſt poſitum, cuius indicium eſt, quod cum ſiccatur lumen deficit, fragilia ſunt, quæ facilè in partes ſeparantur, id accidit dupliciter, aut quoniam multa humiditas eſt in eo corpore, quæ exactè à calore fuerit ſicci partibus admixta, facile igitur pars ab altera parte recedit, ſic Virg. fragiles vocat ramos, qui lentis, vt ſalicis, et viburni opponuntur; lenta enim iſta ligna ſunt, quoniam quamuis cedant, et in omne latus torqueantur, non tamen, franguntur, neque pars partem deſerit, at fragile lignum eſt quod frangitur facile, quod vero in plurimas partes percuſſum diuiditur friabile vocatur, vt vitrum, et teſtæ terreæ, et fictilia, aut fragilia ſunt, quæ minimum habent humiditatis, et propterea facile franguntur, ſic chalybs cum valde purgatus eſt, quoniam minimum habet in ſe humidi continuantis maxime frangitur. Cum ergo multam ſiccitatem in tendine, et neruo monſtrent huiuſmodi vngues, non ab re hos homines duri ingenij dicemus. et qui vix à quoquam perſuaderi poſſint ad ſentiendum, et agendum, quæ illis etiam rationabiliter conducunt, malluntque mori, et peſſima pati, quam de ſua decedere opinione; et fagiles qui vngues habent, cerebroſi propriè vocantur habet etiam fragiles corporis vires, neque enim multum laboris, & diu ſuſtinere poſſunt, hæc & huiuſmodi de vnguibus cum cauſas perſcrutamur, poſſunt præſagiri; Aſt chyromantæ leuium vnguium, & fœminilium homines vocant aſtutos, infideles, proditores, furaces mendaces, & quibus nihil credi poſſit. At quorum aſperos vident vngues, illos putant viros peſſimos, & qui ab omnibus, propter ſua ſcelera odio habeantur, etiam ſi illis aliqua vmbra rationis in eſſe videatur. Sed quando homines læuium vnguium, propterea quod proditores erunt, debeant capite plecti, & quod ſemper facient finem infeliciſſimum; hoc profecto ridiculum eſt, neque in ſe rationem vllam habet; ſimiliter cum aiunt illos eſſe aleatores, & qui ſecum ludentes decipiant, & quod quamuis iniuſte, multum lucrabuntur, egebunt tamen; profecto non eſt quod acquieſcat intellectus vllus; Legi

apud

apud quoſdam referentes mores hominum, qui antipodes ſunt Italiæ, & Siciliæ; eos (aiunt) nudos incedere, & regionem illam ſiluoſam, & montuoſam, agreſtem, & longe frigidiorem, quam ſint montana Italiæ, quamuis ibi polus antarticus non eleuetur amplius 42. & 44. gradibus, legi in quam, eos homines eſſe agreſtes, ab omni manſuetudine, atque humanitate remotos, nullas colere ſocietates, ſolitarios viuere, cum mulieribus quæ ſibi occurrunt congredi, nulla coniunctionis, aut conſanguinitatis habita ratione, eoſdem ferociſſimos eſſe, vnguibus, & dentibus inter ſe pugnare; carnes crudas, tum ferinas, tum humanas edere; ex quibus, ſi vera ſunt, inferre forte licebit; loci, cœlique oppoſitam naturam, ac diſpoſitionem aliquid valere ad oppoſitam inclinationem, in his qui naſcuntur inducendam, ſic dicunt Elephantes Africanos timere valde Aethiopicos, neque id alia ratione præterquam natalis ſoli euenire; Quæ ſi vera ſunt dicemus locum, & cibum neſcio quid inclinationis in nobis generare, ſed non apparent hæ inclinationes, niſi data occaſione exerceantur, & operatione ad actum perducantur; Quod accidit ſodalitij, legibus, & ordinationibus ſapientum, quibus docentur homines viuere ſuauiter, & benigne. Pariter colligere poſſumus hos omnes cum acutiſſimos habeant vngues, & quibus in pugnis vtantur, apud illos nihil chyromantiam valere, & concludendum erit eoſdem à ſtellis fuiſſe deſertos, cum omnes inter ſe ſint æquales, nemo diues, nemo rex, aut Princeps niſi qui robuſtior, & valentior, hic enim cum ſe ſe offert occaſio, aut quæſito cibo, aut vita alium priuat; hæc igitur ex qualitatibus tangibilibus, non primis tamen, dicta ſint accidere hominibus noſtrarum regionum.

De notis a quantitate deductis. Cap. XIV.

QVantitas extenſionem ſignificat, & id omne cuius pars eſt extra partem, ſiue pars parti ſit coniuncta, ſiue ſeparata quantum eſt; quare duæ ſunt quantitatis ſpecies. Quorum igitur vngues magni ſunt, contingit etiam magnos eſſe digitos; magnos tendines, & magna oſſa, & propter hoc à primordijs craſſiorem extare ſanguinem; & atrum humorem alios ſuperare, & quoniam magni ſunt tendines, & craſſior ſanguis, etiam ſubſtantiam cerebri craſſam eſſe, & craſſiores ſpiritus veriſimile eſt; quare homines huiuſmodi ad diſciplinas, & ſcientias ſunt minus

apti; potius ad arma, aut ad artes laborioſas nati; ceruicoſi, & ad ſeueritatem, & grauitatem compoſiti. A paruis vnguibus oppoſitum expectabimus, pueriles enim ſunt parui vngues, quare, & paruos, & teneros arguunt tendines, ergo, & non valde robuſtos; & carnem eſſe mollem, & fœminiles mores, & conceptus, probabile eſt etiam ingenium eſſe aptum, & memoriam ad recipiendum promptiſſimam, quoniam mollis eſt cerebri ſubſtantia, ſed ijdem inſtabiles erunt, & ſibi nuſquam conſtabunt, diruent ædificabunt mutabunt quadrata rotundis ter in die. Vix cum paruitate vnguium reperitur durities, quod ſi contigerit, aliquando in quibuſdam fœminis vetulis, & pumilionibus, obſtinati ſunt, & peſſimi moris, & in inſtabilitate hanc habent ſtabilitatem, vt nemini velint morem gerere, & ſe putent honorabiliores, & meliores, ſi alijs non parcant; timent enim ne propter paruitatem corporis deſpiciantur; Quod accidit plebeis, & ignobilibus viris, quos ſi quando fortuna erexerit, vt poteſtatem habeant ſupra alios, ſunt crudeles, & iniurioſi, tum vt ſe eſſe aliquid ſibi perſuadeant, tum ne quis illos deſpicere audeat. Nam credunt, quod propter conſcientiam ſui generis non poſſunt aliter prompte, & libere ſuum exercere imperium. Vniuerſaliter autem vnguis ſi maior, aut minor iuſto fuerit nil boni præ ſe fert, ſi quidem præter naturam eſt; omne autem præter naturam malum. At aurea mediocritas ſemper eſt laudabilis, & bona quare, & mediocres vngues, inter magnitudinem & paruitatem ſunt laudabiles. Mediocres igitur vngues, & robur mediocre ingenium, & iudicium non damnabile docebunt; longi, & arcti ſiue ſtricti auarum, & aliena per fas, & nefas cupientem dicces, neque id iniuria. Non creſcit in longum vnguis, & ſtrictus eſt, quoniam calor eſt paruus, & materia denſa, & durior, cum ergo exit extra, & aeri exponitur, a frigore ambientis color, & vnitus, fit robuſtior, quare poteſt in longum mouere materiam, at non in latum, propterea quod eſt imbecillior, & materia rebellis. Hac etiam ratione in morbis longis creſcunt adoleſcentuli, facti ſicciores, & calore debiliori propter morbum, quo fuere vexati, calor enim, & ignis ſurſum in longum ſe exprimit, nunquam in latum niſi cum fuerit multus. Auarum hunc vocant hominem, & malis moribus præditum, & aliena appetentem, & iniuſtia gaudentem; chyromantæ. Neque breues meliorem indicant, eadem enim nota timoris ſignantur, & furaces dicuntur; & aſtuti, & quibus, etiam iuratis nihil credere poſſis;

quoſ-

quoſdam cognoui, qui breues habebant vngues, attamen latos; qui certe auariſſimi erant, & furaciſſimi, & propter hanc cauſam ſæpius inquiſiti fuere propter iniuſtitiam, & iniurias factas pauperioribus, At ſe ipſis maiores non attingebant, propter innatum timorem, qui in ipſis eorumque animo, & corpore à principijs internis connaſcebatur, qui niſi foret, miſcerent ſacra profanis; Et ſi in longum, & latum ſeſe exeruerint, & duriores fuerint, & ſquamoſi, iam naturam referent iumentorum, & aſininam præcipuè imitabuntur prudentiam, & iudicium; Id enim indicat, & ſanguinem eſſe valde craſſum, & craſſis excrementis plenum, quare, & cerebrum tali materia conflatum non poterit vllam habere acrimoniam, prudentiam vllam in actionibus ſolertiam, & in contemplationibus perſpicaciam, & ſubtilitatem. Vngues qui facile finduntur, & diſcreti ſeſe offerunt ſiccitatis indicant prædominium, quare & ſiccos tendines, & corpus ſiccius; cerebrum durius, quid autem ſiccitas in nobis, & in cerebri ſubſtantia ſignificet ſatis ſupra dictum eſt. Chyromantæ de magnitudine, & paruitate eorumque continuitate, aut fiſſione admodum pauca afferunt, quod ſciam, quæ talia ſunt; paruos, & duros vngues rapaces, & crudeles homines ſignificare, duros, & qui ad rixas prompti ſint, & ad homicidia; Quorum autem molles exiſtunt, eos fœminas fœminarumque mores exercere aiunt; ſi cum paruitate mollities fuerit coniuncta, ſed vt eſt, dictum, quæ fortuita, a cauſaque penitus externa pendent, nullum in corpore noſtro faciunt indicium neque de his quidquam rationabiliter afferi poteſt.

Qualitates vnguium contemplantur. Cap. XV.

QValitatum aliæ a ſenſibus immediatè cognoſcuntur, ſicuti odores, colores, & quæ propria, et communia, vocantur ſenſibilia, aliæ cum ſenſu, vel non ſine ſenſu innoteſcunt, quales ſunt potentiæ, & inclinationes, quas non dicimus, eſſe ſenſibiles, mediante tamen ſenſu cognoſcuntur, ſicuti mediantibus perſpicillis minutas literas vident ſenes Cum autem multa per ſenſus iudicet intellectus, nos de his tantum quæ per viſum, et tactum fiunt manifeſta in vnguibus mentionem faciemus; Per viſum immediate cognoſcimus colores, hi enim ſunt propria oculorum obiecta; color albus in vngue apparet, qui quamuis diaphanus ſit multũ tamen terræ puræ poſſidet, quare moliſicabilis

quidem eſt vnguis; non tamen liquabilis, vt cera, vel plumbum, & quoniam diaphanus eſt ergo & carnis ſibi ſubiectæ colorem refert; Cum autem erit albus purus eboris colorem repræſentan, quoniam tales erunt tendines, nerui, & cerebrum, probabile eſt, virum huiuſmodi eſſe bonum, quoniam ſecundum naturam eſt diſpoſitus, humilem, miſericordem, placidum, pituitoſi ſanguinis naturam referentem; ſi pallor ſuperauerit, manifeſtum eſt non parum melancholici humoris in mixtione tendinis, & cerebri reperiri; erit igitur callidus, & qui ſibi prouidere ſciat; Chyromantæ, vocant hunc doloſum, alienarum rerum furtiuum appetitorem, infidelem; Putarem rationabilius forſan vocandum timidum, & inſidioſum, calumniatorem, & detractorem, vilem, neque audacem ad dicendum quæ ſentiat; Quapropter relictis horum diuinaculorum ſomnijs dicamus. Quos videbimus eburneos, pallidoſque, & bene formatos habere vngues, illos putabimus eſſe temperamenti ſecundum cerebrum pituitoſi, cum ſub dominio melancholiæ, quare humidi in ſecundo gradu, & ſicci in prim ; ad actiones quidem tardi, ſed ad diſciplinas ſatis accommodati, nam, & propter pituitam, & humiditatem facile impreſſiones capient; & propter ſubſequentem ſiccitatem receptas ſuſtinent, in actionibus, & operationibus tardi quidem, ſed tamen conſiderati, & prudentes, & modeſti, ſunt enim minus quam aliquando oporteret, audaces quoniam frigidiores, at non ob id illiberales, manſueti, & omnino ciuiles, & amabiles, & qui poſſint ignoſcere ſeruis; *Et ſigno læſo non inſanit ca ana*; At quibus mulieribus huiuſmodi acciderint vngues, illæ erunt pudicæ; curatrices rei familiaris, ſuis maritis obſequentes, honoris amantes, loquaces tamen, curioſæ, aliquando forte pluſquam deceat, & propter hoc etiam indignabundæ. Qui chyromantiæ dant operam, credunt prædictos vngues docere viros infortunatos, qui à principibus odio habeantur, ijſque ſint deſpecti, qui à ſuis domeſticis viam patiantur, ſi mariti, ab vxoribus per inſidias pene occidantur. Hoſque hominum genus timidum, & ſuperſtitioſum appellant; ſed hæc quoniam in ſe nihil rationabile habent, neque quod credantur, eſt dignum. In morbis peracutis pallidi vngues mortem eſſe propinquam, & quo pallor eſt intenſior mortem indicant eſſe propiorem, & eo magis cum pallor omni penitus caret fulgore, & ad nigrum quendam lurorem accedit.

De

De colore nigro, fuſco, liuido Vnguium, & alijs. Cap. XVI.

COlori albo, eburneoque lucido opponitur color niger, fuſcus, liuidus, obſcurus; Hic ſi niger erit atram bilem in tendinibus præualere docebit, quare & ſubſtantiam cerebri ad melancholiam accedere, eamque duritiem aliquam habere ſubfrigidam, quare hominem iudicabis ceruicoſum, pertinacem, & plus iuſto quærulum; & iracundum; præſertim ſi nigredo vnguium ſit ſimul cum oculorum albore, in fuſcum quendam, & liuidum colorem degenerante; Cui igitur huiuſmodi cerebri ſubſtantia contigerit, delectabitur longa, & multa hiſtoriarum cognitione, & mirum, in modum curioſus, & ſciendi auidus erit, attamen quæ legit, & quæ audit difficile retinebit quoniam dura materia difficile externas admittit impreſſiones; Et quoniam talis eſt, & querulus, & ceruicoſus, amicis, & præcipuè domeſticis ingratus, & qui ſibi ipſi grauis plerumque ſit; At ſi vngues ſecundum naturam ſuam fuerint liuidi, & pallidi, cum ipſi diaphani ſint, docent ſubiectam carnem, & ſanguinem liueſcere; quare frigus naturalem calorem ſuperare, breuem igitur arguemus, in his hominibus vitam, quoniam debilis calor eſt, & propter frigus, hoc modo afficiuntur vngues; At ſi dixeris liueſcere etiam, & nigreſcere carnes propter calorem. Reſponderem id fieri, ob externum, non autem internum; & excedentem, non autem mediocrem, qualis eſt animalium, & præſertim hominum calor naturalis, qui non ignem, ſed aerem refert; Taciturnos igitur, ſolitarios, difficiles, Timoni ſimiles dixeris hos viros, At ſi cum nigrore, vel vnguium fuſcedine fuerit coniunctus ſplendor; qui docet multum ignei caloris, vel flauæ bilis in tendine, & præſertim in neruo exiſtere; Homines hoſce dixeris eſſe crudeles ſuſpicioſos, & atra bile, & flaua temperatos, quandoque conſequuntur vtrumque humorem qualitates, & diſpoſitiones in illis reperias; ſed de his longe peius chyromantæ ſentiunt, qui eos omnino violentæ morti ſubijciunt, & omnium ſcelerum ſentinas faciunt. Hoc eſt quod malorum Iliadem vocant, & mulierem cui contigerit has vngues habere, aiunt impudiciſſimam, veneficam, magnam, ſtrigem futuram; Ex aduerſo cui mulieri contingunt vngues candidi vel eburnei, puri, longi, molles, in acutum aliquantiſper deſinentes, hanc dicunt pulchram, & amatam, & pudicam, & ſobriam, ac ſanæ mentis futuram

ram, quæ maritum, quæ domum quæ filios proprios amet; At, vt puto, etiam amari gaudebit, & pulchritudinis nomen ambiet, & laudari delectabitur, vanitatem enim muliebrem effugere nequit, cum temperamentum ſit ſanguinis cum ſub dominio pituitæ; ad aerem enim, & aquam & ad bullas, quas fieri videmus dum magni in eſtate decidunt imbres, refertur, quare vanitatem, & inſtabilitatem aliquam in ſe habet; At ſanguinis benignitas, & aeris inconſtantia facit, nè ſceleratas alat cogitationes, aut in illis diu perſiſtat; Roſeus in medio vnguis indicat, & vnguem eſſe purum, & diaphanum, quare, & ſecundum naturam tendines eſſe, & neruos puros, & cerebri ſubſtantiã candidam, & aptam ad diſciplinas ad actiones; & virtutes ciuiles; & carnem ſanguinemque ſub vngue exiſtentem eſſe purum, & cum mediocri bile flaua, & pituita decenter commixtum; placidum igitur hominẽ hunc dixeris, & qui facile amet, quare propter hoc etiam facile credit & alijs confidit, quo fit vt pluries decipiatur, & ſuis fruſtetur opinionibus. At ſi diu vixerit, ſuo malo diſcet quã operoſum ſit, quamque difficile inuenire cui tuto confidere poſſis. Si fuerint vngues parui, ſiue illi breues ſecundum longitudinem, ſiue ſtricti, ſemper indicant virtutem motricem eſſe debilem; & calorem naturalem remiſſum; Quare huiuſmodi homines ſolent fieri pingues, & tardi inceſſus, ſi fœminis vngues roſei contigerint, volubiles erunt, & garulæ, ſanguinem etenim cum bile, & clara pituita mixtam habent, vnde candor in digitis, & mollities exiſtit; quare vt puerorum naturalem referunt temperiem, ita etiam eorumdem mores imitantur, & repræſentant, percontantur itaque & aliena negotia cognoſcere cupiunt, & cum domum reuertuntur, non tantum quid tota vicina, & ciuitas faciat, aut dicat, ſed regum, & principum referunt ſenſus etiam; qua de cauſa aliquando male audiunt, atque odio habentur; Chyromantæ ſi paruas, ſtrictas, vel breues viderint vngues, eaſque rubras, meretrices, & impudicas dicunt; voraces, & cibi appetitrices delicati, eas nimium, quas vulgo guloſas vocamus; at ſi cum rubore æqualiter totam occupante vnguem fuefurit etiam logitudo, aut latitudo, & durities ſimul, talem fœminam volunt, eſſe audacem, crudelem violentam homicidam, libidinoſam maximè, quæ facile amet, & quos amauerit, ſi cum eis concubuerit facile cupiat, & tentet perdere; quod de quadam Regina noſtris temporibus dicebatur; Sciendum eſt quod roſeus à purpureo, & puniceo valde diſtat, roſeum dico colorem

quem

quem videmus in folijs roſarum vulgarium, quas Medici vocant pallidis; at color puniceus apparet in his, quas vulgus noſtrum vocat damaſcenus, ex quibus fit ſaccharum roſatum, & colorem hunc in cinnabri, vel ochra contemplari poſſumus, prior color ſanguinē purū, et ſanguineā a prædominio indicat cum naturali bile temperiem, at puniceus ille miniū referēs bilis atræ cum ſanguine prædominiū demonſtrat, non igitur erit abſurdū credere, quod iſti homines ſint duri, & ceruicoſi, at ſi bilis incaluerit, audaces, & magni animi exiſtent; & qui optime quid faciendum ſit cognoſcant, aptiores ad imperandum quam ad parendum; vt videtur Ariſtoteli in problem. ſect. xxx. Eſt etiam in multis vnguis mixtus, & prima pars quæ eſt prope carnem candida eſt, ſecunda roſea, tertia cornea, et omnino diaphana ſi purgata fuerit vt virum decet ciuilem. Prima pars tendins naturam bene diſpoſitam ſuadet, qui cum ex neruo, & cartilagine vtriſque candidis corporibus conſtet, probabile eſt, ipſum etiam candidum eſſe ergo, & candida cerebri ſubſtantia, quare & ſenſus interni ſecundum naturam optime diſpoſiti, ad ſua munia peragenda. Sed ſi mollis fuerit caro robuſtus non erit homo. Cum autem ſecunda pars purpurea ſit, aut etiam roſea, hominis potentias animæ cognitrices bene diſpoſitas monſtrat ſiquidem, vt diximus, docet qualis ſit ſanguis qui in venis continetur; Pars vltima quæ cornea eſt non viuit vitam animalis, quare neque ſentit, ſed vt capillus ſine ſenſu abſcinditur, tamquam excrementum; fit enim appoſito tendine, ille in longum creſcit, cum extra carnem fertur, calore deſtitutus neceſſe eſt, non ſentiat, mulieres huiuſmodi vngues habentes in extremo corneas cum pallore, animaduertun ſuperbas, auaras, imperioſas, plus nimio ſibi indulgentes quam oporteat.

Vnguium figuræ, ac diſpoſitiones præter colores. *Cap. XVII.*

VNguium figuram voco terminum, quo illi terminantur; figuras cognoſcit oculus, quatenus coloratæ ſunt. Incurui vngues, et præſertim ſi magni ſunt, ex ſiccari tendines, et totum corpus ad marcorem, atque Hecticam febrem inclinare monſtrant, pronique ſunt etiam, qui hos habent vngues ad tabem, quoniam accidit catarrhum ſalſum acrem, et ſubtilem in

ſubiecta deriuari pulmones, & exulcerare, inde ſequitur febris ſpiritus, humores naturales, & oſſa etiam conſumens; vitæ igitur breuis indicia ſunt; At ſi naturale humidum non multum fuerit viſcidum tamen, (quod durities vnguium oſtendit,) et ſiccius cerebrum erit, et homo, qui hæc ſigna habebit, vt plurimum, erit durus, indiſciplinabilis, turbidus, ſeditioſus, crudelis, maximè iracundus, ſagax tamen; videmus enim inſecta quæ frigida, et ſicca ſunt ſagacitatem, et aſtutiam non paucam habere, quod autem ſint frigida, hinc colligitur, quod et hyeme vel latent, vel moriuntur, et valde ſunt meticuloſa, at quoniam præter ſe ipſos, neminem amant homines iſti (ſiccum enim proprio termino terminatur, et nulli adhæret;) accidit vt ſint infideles, auari, et ad Venerem quamcunque propenſi, At ſi caloris pars ſiccitati accedat cum amicis rixantur, illiſque inſultare gaudent, calidi enim, et ſicci hoc eſt proprium, vt alijs ſuper extare velit; quod in igne conſpicitur ſatis. Et quoniam auari, et parum alios curantes, ideo ludorum amatores ſunt, et aleatores, vt potè, qui præ lucro iuſtitiam non curant. In locis publicis quoniam taciturni ſunt, videntur modeſti, tacent autem, quoniam ſicci ſunt, turbidi, neque facile illis ſuccurrit quod dicant, quoniam illorum cerebrum, non facile omnes imaginationes, quantumuis graues admittit. Ex aduerſo, quod facile recipit omnia, quamuis leuia ſimulachra cerebrum, cauſa eſt garrulitatis; Modeſti igitur iſti videntur publice, priuatim intolerabiles, acerbi, et domeſticis inuiſi. Et quoniam cum auaritia iunctam habent ambitionem ſi calidum, et ſiccum eſſe contigerit cerebrum illi etiam præ ambitione munera ſuperioribus offerent; expenſas magna aliquando facient, et quod profuſe proiecerint idem inſolenter ab inferioribus, et iniuſte repetent, hos appellant prodigos compoſitos, qui rapiunt, quod et à quibus non debent, deinde dant profuſe, et quod, et quibus non debent; (caluos fieri cito probabile eſt, et canos, et macros eſſe. Hos eoſdem tales habentes vngues chyromantici vocant latrones, et pyrates, et qui violenta morte tandem pereant.

At ſi recurui fuerint, (quamuis de his etiam ſupra non nihil dictum ſit) hoc eſt ad ſuperiorem partem inclinati, et corpus indicant debile, et ad conuulſiones diſpoſitum, animum eundem, et ad artes ac doctrinas ineptum obliuioſum, credulum, nam ſalſo, et aquoſo humore corpora hæc abundare ſolent; vellicat ſalſedo, vellicatæ contrahuntur cartilagines, et membranæ, quæ

ſi cere-

ſi cerebro communicetur, fit ea (quam vocant conuulſionem) morbi ſpecies, humore laxantur articulorum ligamenta, & ſalſedine ſiccante contrahuntur tendines, & ſic ſurſum reuelluntur vngues. Si plani fuerint, & tactui molles, & quandam laxitatem præſe ferentes, ſanguinem, & pituitam prædominari diximus, quare cui hæc aderunt probabile eſt, futurum virum placidum, ciuilem, bonum, domeſticum, affabilem, & liberalem, non tamen valde robuſtum, neque longioris vitæ, & qui ſua curet, aliena non affectet, paucis qui ſit contentus, non auaritia, non ambitione torqueatur; talis tamen qui etiam rationem habeat exiſtimationis propriæ, & vir bonus haberi velit; referuntur ad aues paluſtres, quas plani pedes appellant; Et ſi cum planitiæ vnguis iunctus fuerit pallor quidam ſub lucidus, id indicat præualere pituitam ſanguini, & magis etiam bili; Pituitoſus hic eſt habitus, quem per ſæpe ſequitur ſomnolentia, & ſtupiditas quædam, & tarditas in motu in operationibus, & reſolutionibus, quę grauiter plerumque offendat eos, cum quibus acturus eſt; Plani in mulieribus vngues, & parui, & molles aiunt manuum inſpectores futuras ſuis maritis fideles, & multorum filiorum matres, ſed qui orientur nullius pretij erunt homines, impudici, & impuris amoribus dediti; Et ſi filias peperirint, quæ naſum habuerint ſimum, adulteræ, & meretrices omni impudicitia inſignes, & nobiles erunt, & longe etiam peiores ſi labra craſſa, & frontem paruam, et ſtrictam habuerint hæc illi, ſed rationem non afferunt.

Vngues pulchri nodoſi, & alijs figuris inſigniti. *Cap. XVIII.*

PVlchritudinem, & turpitudinem ſpecies figuræ vocat Ariſtoteles. Vngues pulchros dicimus eos, qui maxime ſunt ſecundum naturam, et quo ad ſubſtantiam, et qualitatem, et quantitatem; & ſi pulchri ſunt vngues, puri, et politi apparent, et viſum quodammodo delectant; Contrario modo affecti ſunt, qui vocantur turpes, peccant enim, et in ſubſtantia, et in qualitate, et quantitate; Neque virum ciuilem decent, vngues illi longi, aut pleni ſorditie; ſi igitur pulchri ſunt, homo eſt bono præditus temperamento, ad calorem, et humorem proportionatum accedens, quare et ſanguineam poſſidens temperiem, propenſiones igitur quæ ſanguinem dominantem ſequuntur in hoc

erunt homine, benignus, et affabilis apparebit, ad amandum, et benefaciendum propenſus; liberalis, et manſuetus, ſed garrulus, et qui quandoque ſibi plus iuſto placeat, et ad palpandum, laudandum, et adulandum etiam plus æquo procliuis. Turpes vngues turpem cerebri ſubſtantiam, et male temperatam arguunt, quare et mores ſuperioribus oppoſitos, ruſticos, inamabiles, et qui aliquando ſcurram potius, quam virum probum, et ciuilem deceant, ſed ſcurrules hi mores, et dicteria pluſquam oporteat ſalſa, atque acria, ſi alijs riſum, attamen qui offenſi ſunt magnopere iraſcentur; et odioſi tandem omnibus fient; Nodi in vnguibus ſe ſe offerentes, materiam terreſtrem, et pituitam impuram in oſſibus in neruis, in tendinibus prædominari indicant, et corpus excrementis plenum, grauati igitur ſibi videbuntur, et debiles, et ſoporoſi, ignaui, et degeneres, et cætera accidentia, quæ pituitoſam, et melancholicam ſequuntur temperiem in his apparebunt; Et quæ fœmina hos nacta fuerit vngues nodoſos impolitos protuberantes, illam cum Simonide ex Stobæo natam ex aſino dicemus, cui ignauia, et deſidia ſit cordi, quæ nihil, niſi minis, et fuſtigationibus boni faciat, quod vere placere poſſit, quæ die, nocteque ſemper aliquid furtim deuoret, libenter ad focum hyeme ſedeat, et quemlibet aduenientem ad opus Venereum admittat; hæc ille de huiuſmodi muliere prædita temperamento pituitoſo cum ſubdominio melancholiæ calore, et ſpiritibus priuatæ affert, veritas ſit penes auctorem. Vniuerſaliter autem tam viros quam fœminas habentes nodoſos, et vndoſos vngues, aiunt eſſe ſordidos, auariſſimos infimæ ſortis homines, miſeros, et ſeruili animo præditos timidos, magna velle, et tentare omnino renuentes, veſpertilionum enim naturam præ ſe ferunt. In ſcientijs, et artibus mechanicis, non omnino forte erunt damnandi, laborem, et patientiam ſi adhibere voluerint, probabile autem eſt hos eoſdem faciem habere turpem, pallidam, macram, naſum depreſſum, maxillas magnas, et aſininas. ſi prædictam ſortiti fuerint temperiem. Non eſt autem putandum ſimulatque tales apparuerint nodi in vnguibus, ideo his hominem accidentibus eſſe omnino neceſſario præditum; oportet enim longe plura alia, et ea pathognomonica eſſe ſigna, inter ſe conſentientia, ad hoc vt ſecure iudicium de propenſionibus hominum fieri poſſit, quæ quantumuis robuſta ſint, facile tamen ſuperantur à conſuetudine, et educatione, totam naturam oppoſitum vertente, nam nimium eſt aſſueſcere, et præſertim

tim à teneris; ſunt quidam vngues coſtas, et canaliculos habentes per longum; quod, vt arbitror indicat eorum tendines abundare pituita, ex qua per actionem caloris eleuantur flatus, ſed quoniam calor debilis eſt, eos reſoluere non poteſt, tumorem igitur quendam, in ſuperficie tendinis generat, ſi per longum fiunt canales, et coſtæ, ſi per latum ſpeties vndarum producit; exeunte deinde in externum aerem tendine, et ſiccitatem inducente per quam fit vnguis, tunc fiunt, et illæ coſtulæ, et ſpecies quædam vndarum, Hoc ergo caloris remiſſionem arguit, quare tales vngues ſæpe in ſenibus ſpectantur, et propter hoc etiam vires corporis non validæ exiſtunt, et ſæpe dolet caput, vel ſaltem quodammodo videntur aliquando ſtupidi, ſunt enim frigidis, et pituitoſis humoribus referti, qua de cauſa, neceſſarium eſt, vt timidi, et tardi appareant, et quoniam valde ſe ipſos amant, quæ timidorum paſſio eſt, ſibi obſequuntur, et placent, et ſi medicamentum ſumere oporteat, aut tumor ſecari iam maturus, horrent, lugent, et abiecto animo negant poſſe hæc, mala ſuſtinere. Orbiculares vngues, et ad rotunditatem accedentes timidum, garrulum, et ambitioſum ſignificare hominem dicunt, ſed rationem non afferunt chyromantæ, dicunt etiam illum eundem eſſe valde venereum, & mulierum amatorem, & propter mulieres multas profuſurum pecunias, & deinde dolorem ſenſurum ex dilapidata pecunia. Ego putarem hominem huiuſmodi eſſe debilem, & paruos habentem tendines, & mollem, & aptum ad intelligendum, quoniam caro fit mollis, & calor mediocris, qui dum æqualiter materiam mouet, in longum non producit vngues.

Quadrati vngues ruſticorum ſunt, & ruſticanos denotant mores; nam ſi quadrati, etiam lati, quare & tendines magni, robuſti igitur, & ſi robuſti, ergo cerebri ſubſtantia durior, ergo homo erit minus promptus ad ſentiendum, & ad intelligendum, amplius indicant homines, mites & qui non facile iraſcantur; & irati deponant indignationem, eademque de cauſa non facile aliena cupiant, ſed laborent continenter, & ſuas res agere ſedulo procurent.

Si inæquales fuerint, nedoſi concaui, aut conuexi, aut gibboſi, quomodocunque ſint nunquam boni, indicant enim naturam non eodem modo ſemper agere, impeditur igitur, & id illi accidit, vel ratione humoris, & materiæ, vel ratione caloris, & cauſæ efficientis, ſi ratione materiæ huiuſmodi inæqualitas in vngui-

guuibus reperiatur, vt vna pars ſit concaua, altera conuexa, id indicat materiam ex qua conſtant tendines, eſſe male elaboratam, & ſecundum partes alias duram, alias mollem, cognoſcitur id fieri ratione materiæ, cum debilis erit homo; ſed bene ſibi mente conſtans, & oſſa ſint tenuia, & digiti longi, & ſubtiles. Nihil igitur aliud ſignificabitur niſi virium imbecillitas, & ideo timiditas, quare & ad quærelas multa propenſio, cum minima ſpe futurorum, niſi contrarium certa ratio perſuaſerit; At, ad hanc inæqualitatem, & ſcabritiem etiam concurrere neruum iudicabimus, ſi operationes cerebri, à quo pendet neruus imperfectæ, & defficientes apparebunt; & non valde acute ſentiat, & iudicet homo; At ex deffectu cauſæ efficientis, & caloris ſi id acciderit, docebunt aliæ caloris functiones, vt digeſtio, & motus localis; ſecundum ſe non valde diu viuet, excrementis ſcatebit, & morbis multis, & longis erit obnoxius, nec facile ſanabitur debilis enim eſt calor.

Chyromantæ hos homines iudicant infideles, proditores, & qui patriam, ac domeſticos vel paruo precio prodant, & præſertim ſi digiti fuerint breues, craſſi, & interius valde incuruati, delatores, calumniatores, ſecretos, odij, & maleuolentiæ, & omnis hoſtilitatis ſeminatores; & qui tandem propter has cauſas, & malos mores ſuos mortem oppetant violentam; quæ tamen omnia, vt apparet, nullam in ſe rationem habent; neque putandum eſt hæc, ita ſe ſe habere poſſe, ſi nulla ſe offerat ratio, cui homines credere valeant; ſi autem ex aduerſo æquales, plani, & lucidi fuerint vngues, oppoſitas etiam qualitates hominum indicabunt; etenim ſplendor ille ſpirituum copiam, & lucidicatem docet, vires eſſe mediocres, calorem naturalem bene valentem, & in omnibus ſecundum naturam diſpoſitum virum. Ergo cui tales adſunt vngues, ingenio, iudicio, memoria pollentem vocabunt. At ſi cum æqualitate, & planitie iuncta foret obſcuritas, quoniam pauci, & melancholici ſunt ſpiritus, præter timiditatem, docet hominem parum beneuolum, & naturaliter alijs detrahentem, & neminem ex corde laudantem. Chyromantæ vilem, meticuloſum magicis artibus gaudentem affirmant, auarum, immitem, & ab omni humanitate ſeiunctum, quamuis & ſibi, & alijs oppoſitum ſuadere nitatur, eundem vocant hominem infælicem, principibus odioſum, eo quod putant detractorem, & virum infidelem; Quorum omnium nulla ratio eſt præter hanc vnam, quod probabile eſt, viros his vnguibus

præ-

præditos eſſe temperamenti ſicci, & melancholici, quare cum frigus, & ſiccitas in his abundet, ac ſpirituum animalium paupertas, non eſt abſurdum, ſi timidi ſint, ſi alijs omnibus odioſi; cum illorum temperies ab humana communiter calida, & humida omnino diſentiat, illique opponatur. Hactenus de vnguibus eorumque natura, ac ſignificationibus dictum ſit. Reliquum eſt, vt de maculis ſermonem habeamus.

De macularum ſignificatione. Cap. XIX.

QVid ſint quæ in vnguibus apparent maculæ, & quæ ſint earum ſpecies, & differentiæ ſuperius dictum eſt; Nunc earundem ſignificata proſequamur; Et ſecundum Phyſiologiam, ea pauca, & tenuia ſunt, ne dixerim inania penitus. Phyſiologi ad qualitates humorum alenium has referunt maculas, & eum dicunt colorem habere, qui eſt humoris naturaliter abundantis, et eiuſdem quatenus perfectam fugit, coctionem, & applicationem; Quod certe ſunt vngues, quod in tres partes diuidantur, inferiorem, mediam, & ſuperiorem, videor ſatis dixiſſe. Albæ maculæ in vngu bus pituitam in ea parte præualuiſſe oſtendunt, & ſi multæ fuerint, & pene in omnibus digitis, abundantiam huius humoris ſignificant, & ſi alia ſigna concurrunt, pituitoſum dicere poteris temperamentum; ſed non ex ſola macularum, inſpectione id aſſerendum, quamuis plurimæ forent. Nigræ demonſtrant in venis, & corpore meldancholiam abundare, & ſi liuidæ ſeſe offerent, cum imbecillitate virium; malum eſt ex Hippoc. Nam extingui calorem naturalem indicant; multoque certius ſignum eſt ſi liueſcant, etiam digiti, & diminute ſentiant; Liuidæ maculæ nihil præſagiunt boni, roſeus macularum color ad naturalem bilem refertur, flauus ad flauam; purpureæ vero ſanguineæ vocantur; Contigit, & his colores miſceri ſimul, vt album, et rubrum, quod indicat pituitam cum ſanguine, vel cum pura bile coniunctam; quare et ad eam temperiem accedere talem hominem; Neque id videatur mirum, nam ex Hippocrate de Natura pueri, hæc ad verbum habentur, deſinunt venæ hominis omnes in digitos manuum, & pedum; quæ tenuiſſimæ, denſiſſimæ, & plurimæ ſunt, ſicuti & nerui plurimi tenuiſſimi, et denſiſſimi, digiti habent oſſa pauca, et denſa, ſic etiam vngues in extrema parte digitorum nati, tenues ſunt ac denſi, venarum, & neruorum extremitates concludunt, quare

apparet; non vanum eſſe principium quod in huius tractatus exordio dictum fuerat; Noſtri temperamenti, tum totius, tum partium principalium non nihil poſſe ſignifiari ab vnguibus eorumque paſſionibus, quales ſunt, præter prædictas à ſubſtantia quantitate, et figura excerptas, hæ, de quibus nunc agimus maculæ. Cum igitur, vt ait *Chriſtoph. à Vega*; plurimæ arteriæ, et venæ ad vngues, et ſub vnguibus ferantur, et terminentur, non eſt abſurdum, credere eorum colores, et macularum etiam, indicare aliquid ſtatus principalium membrorum, à quibus ſanè, arteriæ, nerui, et digitorum naſcuntur officula; ſubcaſtaneus color mixtam cum ſanguine docet melancholiam, hominem itaque, ſi cætera non diſſentiant, benignum, grauem, prudentem, ciuilem dices; Hæc enim natura ſanguinis eſt, cum atrabile iuncti; ſanguis benignum, et ciuilem facit hominem, melancholia, quæ terram refert grauitatem, prudentiam, et circumſpectionem adiungit; ſplendentes maculæ, ex eodem Vaga declarant, multum ſubſtantiæ aereæ, et ſpirituoſæ in tendine, indigito, et in toto corpore abundare, ego ſplendorem à læuore, et duritiæ vnguis naſci putarem, quæ durities eſſet interius opaca, ſic enim, et marmora, et terſa ſpecula videmus ſplendeſcere: quoniam ſunt læuia externis, et interius opaca.

Profunda hæc in vnguibus apparent ſigna, ſi vnguis fuerit, læuis, planus ſplendidus, et hæc materia, quæ in tendine erat, in eius profunditate continebatur, ſi vero in ſummitate erat tendinis, etiam in ſummitate, et ſuperficie vnguis apparebit macula, ſiue illa ſit alba, ſiue rubea, aut crocea, vel alterius coloris. Radioſæ cuiuſcunque coloris ſint, à flatu, vel ſpiritu materiam macularum diſtrahente naſcuntur, quare vt in nubibus apparet, ita etiam in his maculis quædam radiorum imago ſe ſe effert, quæ his carent extenſionibus ſortitæ ſunt materiam craſſiorem, et magis viſcidam, quare hæ vnitæ, et denſatæ apparent, illæ diſtractæ, et in partes diuiſæ ſpectantur.

Quæ aliquando quaſi puncta in vnguibus ſignata ſpectamus, peccantem materiam paucam, et nullius momenti eſſe demonſtrant. Ex his quod Phyſica ratione de vnguibus, et eorum paſſionibus præſagiri poſſit, puto ſatis dictum fuiſſe, hiſque vt ſigna inſpici, non vt cauſas debere. Nam profecto ridiculus eſſet, ſi quis foret qui humanarum actionum, atque diſpoſitionum, et propenſionum, vngues, vel eorum accidentia cauſas eſſe in aliquo cauſarum genere putaret, aut ſigna aliquid neceſſario inferentia crederet.

Chyro.

Chyromantis de maculis Vnguium ſententia.
Cap. X X.

VAria ſed nulla ratione vallata recitant Chyromantæ de vnguibus eorumque maculis; Notantes diuerſitatem digitorum colorem, et figuram macularum. Aliud enim eademmet macula ſignificat in manu dextra, aliud in ſiniſtra. Et quod fortunatum eſt in police, infortunium eſt in indice, vel medio; quaſdam aiunt eſſe certiſſimas, neque falli, alias medio modo ſe habere, alias demum minimo negotio declinari. In pollice manus dextræ honores, et dignitates dicunt cognoſci, et præſertim imperias; Albæ maculæ poteſtates circa aquas, rubræ ſanguinis imperium, nigræ poteſtatem ſupra Dœmones, et viros malos, ac nequam; ſi vero fuerint liuidæ dignitatem cito amittendam, ſi radioſæ, et albæ fuerint Eccleſiaſtica ſortirentur imperia, & beneficia; ſi carebunt radijs, & roſeæ fuerint à regibus amati erunt, & multum auctoritatis, & dignitatis conſequentes; partem enim ſuperiorem Marti tribuunt pollicis, inferiorem Veneri, cuius radicem vocant Veneris montem. Quo fit vt idem huius digiti vnguis, & voluptates Venereas, & affectiones indicet martiales, & dominium huius planetæ. Si ergo in pollice fuerint albæ maculæ in radice digiti extantes, ſpes alicuius dignitatis, aut honoris, aut voluptatis breui ſe ſe offeret, neque ſeptimum diem deludet, & ſi magna macula etiam augebitur ſpes ſi parua, res eſt in anguſto, & dignitas ſperata nullius penè momenti. cum ad medium venerit iam ſuum finem conſequitur, ſi autem ad extremum deuenerit vnguem, & ibi apparuerit iam tranſijt tempus, & ſpes fruſtrata eſt, ſi radioſa, albaque fuerit macula, magnam promittit fælicitatem cum principibus, & ſi aliquid rubri admixtum apparuerit de mulieribus amatis fiet votorum compos homo, & ab illis quid quid cupiet obtinebit.

Fractæ maculæ fractas ſpes, & lucra lætitiaſque impeditas demonſtraut. Iunctæ, & continuæ bene ſe habent, ſuperficiales cito euaneſcent, profundæ, cum difficultate quod promittunt, dabunt ſed durabit diu, ſplendor felicitatem auget, obſcuritas minuit. At læuor peſſimus eſt, & fruſtratas ſpes docet, & ſpei ſucceſſurum timorem, & dolorem, & ſi in parte externa, & ad angulum exteriorem vnguis verget macula, liuida infamiam, & ignominiam expectare oportebit ab his, qui id non deberent facere.

cere. At ſi ad internam partem vnguis verſus indicem ſe ſe exeret macula liuida, vxorum, vel amaſiarum adulteria, amores, & impudicos habebit complexus, vnde primum zelotypiam, mox dolores, & ſollicitudines infinitas reperiet, & eo magis infortunia augebuntur, quò liuida macula maior continua, & radioſa ſeſe offeret. Mala eſt in pollice dextro. At in ſiniſtro, putant, tantum, atque adeo terribile indicare infortunium, vt homo, & vita, & omni ſpolietur dignitate; Nigra macula in pollice virum melancholicum, & infelicem ſignificat, & cui nihil iucundi aut honorabilis ſine magno labore accedat. Volunt liuorem eſſe nigredine peiorem, quoniam magis diminuitum calorem, aut prope extinctum eſſe ſignificat; nigredo atræ bilis dominium, liuor frigus in morbis extrema iam occupare, & mortem præforibus eſſe docet. Roſeum colorem laudant in hoc vngue, & dicunt fortunatum facere cum mulieribus hominem; Veneris enim color eſt roſeus, et veneri dicata roſa. Purpureus martialis, quare cui maculæ purpureæ, et radioſæ in pollice, et eadem ſplendentes apparuerint; Hunc dicunt futurum virum maximum, & potentem, imperiaque exercitaturum, & maximos honores in bello, & in pace conſecuturum; Crudelem tamen, & iracundum hominem, & ſuorum inimicorum terribilem perfectorem, et euerſorem futurum, talem fuiſſe aiunt Valentinum, et vngues vtriuſque pollicis inſignitas habuiſſe maculis ſanguineis. Hæc de pollice dextro, quidam tamen dicunt, dextri, et ſiniſtri differentiam faciendam, in ijs ſecundum quod dextram, aut ſiniſtram manum vſurpant in operibus; alij dicunt fortunam eorum qui naſcuntur inter diù in dextra, qui noctu in ſiniſtra ſpectari.

Indicis maculæ, & medij ex chyromantis placitis.
Cap. XXI.

INdicem Ioui tribuũt in huius vngue lucra, et damna apparere aiunt, ſi vnguis albus fuerit, et eburneus diues erit, et ſi maculæ fuerint albæ, et in medio vnguis apparebunt iam diues actu eſt, ſi autem in ſummitate, neque hactenus diuitiæ contigerint, fruſtra expectabit, paruæ maculæ paruas fortunas, magnæ magnas promittunt, radioſæ honores cum diuitijs ſpondent, obſcuræ, et fractæ furta, et rapinas minantur, et his augeri modis rem familiarem. Nigras dicunt Martiales, et indice minantur

per-

percuſſiones, cũ vituperatione,& de decore ſi fuerint in dextra; ſi vero in ſiniſtra, & periculum, & dedecus augebitur; obſcuræ propter fœminas malum ſequi, lucidæ ſi cum nigrore fuerint propter dignitatem, & proprium honorem capiendum infortunium; Roſeæ propter mulieres nos habituros multos amicos,& ab his nobis bona prouenient,ſed fama laborabit;valde ſi magnæ ſunt maculæ, parum, ſi paruæ, & ſine radijs. Purpureas, & ad colorem corticis caſtanearum accedentes maculas ſolares aiunt; Solem regias poteſtates, & præſertim Eccleſiaſticas dare dignitates, & hominem ſupra domeſticos, & amicos ſublimandum, vt alij præſit, & apud Principes ſit in honore magno. Mixtæ maculæ, plures, & diuerſi coloris iudicium faciunt difficile, ſed attendatur magnitudo, & color, & radius, ſeu ſplendor maculæ, & horum ratione fit iudicium, ſi modo ſine ratione ſomniare has nugas; poteſt fieri iudicioſa oratio; Quod ſi hæc in ſiniſtræ manus indice apparuerint, oppoſitum penitus erit iudicium; Et ſi in vtroque indice maculæ apparuerint. Ait Caidanus, malum ſemper pronunciandum, quamuis minuatur, ab his quæ ſunt in dextro indice, & cauſam reddere volens, ait, id fieri, quoniam humana natura ad malum nimis eſt prona, & prompta, adeo bene de genere humano vir ille ſentit; ego vero prçterquam quod puto, virum illum longe maiores dixiſſe falſitates, in illis ſuis lib. de Varietate, & ſubtilitate, & de ſomnijs; hoc præſertim arbitror eſſe falſiſſimum; Nam omnia bonum appetunt, & homines ad veritatem natos eſſe aſſerit Ariſtoteles, veritas autem bona eſt, humana igitur natura ad veritatem propenſa, malitiam non perſequitur, niſi ſpetie decipiatur boni.

Medium vnguem dant ſaturno, & maculas pallidas, & plumbeas vocant ſaturninas, In hoc vngue cogitationes, & cogitationum exitus apparere aiunt. In hoc conſpici credunt mortes propinquorum, amicorum, & ſui ipſius, perſecutiones inimicorum, carceres, & ſollicitudines futuras detrimenta rei familiaris, furta, & rapinas. Aiunt enim maculas albas, magnas, & radioſas oſtendere nobis inſtare maximum infortunium, a quo tamen propter prudentiam, & coloris bonitatem liberabimur, quod ſi macula radios habuerit, & primæ fuerit magnitudinis ſtella, ex eo infortunio honorem, & famam bonã conſequemur. At ſi fuerit nigra macula, per ſe ſola, & magna, vel Hercule duce impoſſibile erit infortunium vitare; non ſi Iupiter ipſe ſpondeat; Neque eſt quod minui poſſit, niſi aliquæ

albæ fuerint in pollice, & in indice: Memini me audiuiſſe Cardanum, cum aliquando ſecum eſſem, dicentem dum vngues ſuas intueretur, ibo propediem in carceres, ſed exibo etiam inuitis, qui hanc ærumnam calumnioſam mihi parant; petenti autem mihi vnde hoc haberet. Medium ſiniſtræ manus vnguem, & digitum valde ſordidum protulit, in vngue erat macula ſub nigra magna radioſa, & pene ad medium digiti peruenerat vnguem. Hæc inquit, hæc me in carceres ſubito trudet, deinde in dextra duas albas in indice pollice oſtendit, iam in radice vnguis ſe proferentes, & ait vide, ſunt hæ quæ liberabunt; Hoc ſucceſſit, nam in carceres coniectus fuit, & vix tandem poſt multos menſes liberatus, Romam petijt vbi mortuus eſt, cum ſuis diuinationibus; Hæc ſibi prædixit vere quidem, quoniam ſibi erat conſcius forte, mihi tamen & pluribus alijs Scholaribus, qui illum aliquando audiebant publice, cum quotidie multa, ex metopoſcopia, & phyſionomia, & chyromantia prædiceret, ferè nunquam veritatem attigit; Vnde ex nobis multi putarunt illum iam ſciuiſſe, ſe delatum fuiſſe apud ſuperiores propter has diuinationes ſuas, quas paſſim profitebatur, ſed ad propoſitas reuertamur fabulas. Quid nigrę ſiuę pallidæ maculę decernant in vngue medio ſiniſtrę manus dictum eſt, neque melius promittere in dextra, ſed tamen breuis, & minus futurum, ac duraturum malum; & ſi à bonis maculis comitabitur, ſemper fiet minus. At non poteſt vitari; Adeo ne in futuris contingentibus ſingularibus neceſſitatem imponere tentant? Si autem albę fuerint bonum quidem pronunciant, ſed vitiabitur, & imperfectum erit, & continget id, cum multa difficultate, & labore, ſi macula fuerit alba in medio dextrę; ſed ſi fuerit in ſiniſtra, vana erit ſpex, & expectatio, & nihil conſequeris eorum, quæ ſperaueras, & animo conceperas; docet igitur ſiniſtri medij macula alba, te hoc bonum concepiſſe, & ſperare, aſt falletur ſpes tua, & nihil fiet etiam ſi ſtellata ſi lucida ſi magna fuerit; Hæc omnia nihil aliud indicant, niſi quod de maxima ſpe decides, & nihil pręter dolorem tibi reſtabit; Roſę color in maculis apparens rerum venerearum cogitationes deſignat, ſi in dextra magna, & radioſa, & lucens aderit macula in vngue medij, veneris cogitationes, & amores illum in animo habere dices; & aliquando etiam intentum ſuum habiturum, ſed cum multo labore, & facultatum, reique familiaris diſpendio, ſi autem maculæ iam medium, occupant vnguem, & ſplendentes ſint amatis potitur perſonis, ſed

cum

cum multo ſumptu, & periculo, ſi autem in extremo eſt macula vngue, iam hæc tranſacta ſunt, aut cito deſinent, ſi macula erit obſcura, & ad nigredinem vergens mortem aut ſaltem vulnera, ob res venereas prædixeris; diſtractæ, & plures, & ſuperficiales hominem oſtendunt omnes fœminas appetentem, nullis deinde addictum, neque vere, & ſincere vllas amantem; in ſe tamen id habet boni homo hic, quod non eſt garrulus, neque iactator, ſed ſecretus, & nemini cum qua rem habuerit fœminę famam auferet. Quod ſi dixeris quomodo Venereos facit homines ſaturnus? Dicent non fieri venereos homines à ſaturno; ſed maculam roſeam eſſe ſignum venereæ cogitationis, & amorum, quos ſua pręſentia ſaturnus, ſi non tollit, attamen difficiles facit, & executionem omnino impedire conatur. Qui roſeas vocant, & albas Venereas aliud ſentiunt, & roſeas volunt ſignificare affectationes, et deſideria dignitatum, Eccleſiaſticarum pręcipue, quas homo non aſſequetur ſi fuerint in ſiniſtra, ſi vero in dextra vix perueniet, & ſi peruenerit multo labore, multoque tempore id fiet. Albas res venereas transferunt, ſed quoniam ex ſe vana ſunt, & nihil ipſis reſpondet ex parte rei, mirandum non eſt, ſi nihil certi dare poſſunt, iam enim ex his quæ naturaliter de eſſentia macularum dictum eſt, apparet clare quam vana ſit prędictio actionum humanarum, & conſiliorum, & euentuum ex maculis. Quod dicendum de Aſtrologia, & omni facultate quę de futuris contingentibus ſingularibus aliquid certi aſſerere tentat. Cruentę maculę ad Martem referunt, et cogitationes vltionum, et vulnerum, et cędium animo deſtinari docent; quæ quamuis maximo cum periculo tamen aliquem ſortientur effectum, ſi nihil erit quod impediat in manus ſiniſtrę medio vngue. Id impediunt alba puncta, aut roſea, aut mixta, quę indicant tuas cogitationes, et coniurationes omnino inimicis manifeſtandas eſſe. Mixtę turbidum perdocent animum, plurima continue apud ſeipſum agitantem, et nihil perficientem; ſeuerum, crudelem, auarum, et penitus lucro, et compendijs etiam inhoneſtis inhiantem. At nihil aſſequetur, ſi hanc macularum varietatem habebit ſiniſtra; ſi dextram occupabunt, pauca ſane; multo cum labore perficiet eorum, quę cogitat. Quid autem ſit, quod prædici poſſit, potius id ex colore maiorum macularum determinandum, quam ex alijs ſignis, quæ illi apportant.

Annularis, & Auricularis maculæ. Cap. XXII.

PIget, ac pudet me talia comminiſcendo tempus terere,& operam ludere, attamen poſtquam obedire viris primarijs, qui id anxie petunt, & iam finis inſtat, quod cæpi; proſequar, ſi modo prius dixero incidiſſe in auctorem, qui totam pene hanc met peruertit ſcientiam. Dextram viris, ſiniſtram manum dat fœminis, nullas putat in viro ſignificationes macularum ſiniſtrarum; nullas dextrarum in muliere. Nigras ſaturno, albas tribuit Ioui maculas, Marti purpureas, & cruentas; ſoli roſeas, & radioſas. Veneri paruas ſub roſeas,& ad albedinem tendentes, ſine radijs; Mercurio ſuperficiales, puncta referentes, varia caſtanea,& roſea, Sol ſub caſtaneas radioſas; Luna albas, paruas, confractas, & diſſipatas habet; Hæc ille, & quo ad ſignificationes macularum, eas ait fieri diuerſas pro natura digiti in quo reperiuntur, vt ſi Venereas habeas maculas in vngue digiti ſaturnino, has cum maxima difficultate, aiunt, ad effectum peruenire videbis; quæ ſi in pollice erunt ex parte quæ Marti aſſignatur, finem quidem optatum habebis, ſed cum rixa, & pugna graui, ſed, vt iam ſæpe dixi, hæc ſomnia ſunt, nulla ratione, nullis experimentis vallata. Cæterum de minimo, & illi proximo tantum legi; Annularis ſoli dicatus eſt; ſol illuſtres, nobiles, & magnos facit viros, & qui in ſcientijs, & artibus liberalibus excellentes fient, ſi illis in pueritia apparebunt ſolares in ſolari vngue maculæ; ſolares diximus ſecundum iſtos, eſſe ſubcaſtaneas, lucidas, radioſas; ſi puncti albi has concomitantur, venereæ cogitationes impedient valde optimam ſortem, quæ promittunt maculæ ſolares; ſi puncta nigra aderunt, periculum eſt mortis propter malignitatem ſaturni, Nigræ maculæ in hoc ſolari digito, totam ſpem honorum perturbant, & nihil te poſſe conſequi horum, quæ ſperas dicunt, niſi forte fuerint in extremo vnguis, iam enim docent malum influxum euaneſcere; Cruentæ monent, nobis inſidias tendere inimicos, & vulnera intentare, at propter ſolis benignitatem nocere non poterunt, ſed eorum inſidiæ nobis cito patebunt; ſi iam ad medium tendit macula; quod ſi in fine vnguis, omnino euanuerunt,& pœnitentia ducti, aut impoſſibilitate nocendi, deſtiterunt ab incepto. Hæc ſi mulieris in ſiniſtra manu apparebunt, ſortientur effectum, vt viro in dxtra, aut conuerſim quæ in ſiniſtra viri nihil,&

in dextrâ mulieris raro boni aliquid, aut mali indicabunt; Mixtæ ſi paruæ fuerint varias cogitationes honoris, lucri, vltionis, & rei venereæ ſignificant; & ſi magnæ ſunt Lunę, aut, Mercurij maculæ; quoniam hi planetæ, & Luna præſertim celer eſt, neque eadem bis in eodem menſe in eodem cœli loco ſe monſtrat, ideo dicunt hominem talem propter Mercurium eſſe nobilem, ciuilem, manſuetum, & amabilem, ſed propter Lunam, mutabilem, & qui modo affirmet modo neget, ſibique ipſe ſit diſcors. Attamen ſemper amabitur, ſemper & ipſe ad amandos alios promptus erit, qui libenter in aulis Principium verſetur, qui bene audiat, & cui credatur, nam affabilitas, & placiditas a Sole cauſata hoc dat viris, & mulieribus; & illi in quorum annullari ſpectantur plures, & continentur maculæ, hos vocant ſolares, vt Iouiales, & Martiales, aut Saturninos pro ratione digitorum; Videor autem dixiſſe, pollicem Veneri, & Marti aſſignari, inferiorem partem, & interiorem Veneri; ſuperiorem, & exteriorem vnguis particulam Marti, interiorem voco vnguem quæ reſpicit indicem, exteriorem illi oppoſitam, Ioui indicem dant Saturno medium, ſoli annularem, at auricularem quantumuis minimum in duas ſecant partes, priorem, & ſuperiorem Mercurio inferiorem tribuunt Lunæ, & partem vnguis interiorem verſus annularem aſſignāt Mercurio inferiorem tribuunt Lunæ, & partem vnguis interiorem verſus annularem aſſignant Mercurio, exteriorem Lunæ; Et quod ſpectat ad annularem aiunt Platonem ſentire à corde neruum ad digitum hunc peruenire, & ideo connubijs digito huic imponi annulum; Quare, & omnes cordis cogitationes, & affectus in hoc digito, & vngue ſpectari, & non minus quam in fronte apparere, & pro huius vnguis diſpoſitione iudicari de natura, & hominis propenſionibus, candidos, magnos, leues, lucentes vngues, ſignaque optimam naturam, ſpes magnas, fęlices rerum proceſſus arguere; oppoſitas diſpoſitiones inferre, & minitari arbitrantur, prædictis oppoſitos effectus. Hæc illi de annulari, at nullum ſane à corde neruum adhunc digitum peruenire ex anatomia certum eſt; ſi dixeris arteriam, etiam ad alios digitos peruenit arteria, Neque enim pars eſt vlla organica corporis noſtri, ad quam ſimul non perueniat neruus, vena, & arteria, hæc dat vitam, nutrit vena, dat ſenſum neruus. Sed iam minimi digiti contemplemur vnguem, & primum Mercurij ſedem ſpeculemur; Hæc vnguis ſi rectus, ſi candidus, vel roſeus fuerit hominem, aiunt, ſignificare

re

re optimæ indolis ad ſcientias idoneum, eloquentem, & ſolertem, ſed qui furtis plus iuſto gaudeat, talis enim eſt Mercurius; eius maculæ ſunt paruulæ, variæ, certum colorem, non habentes; & ſi ergo fuerint albæ, & plures, plurimum delectabitur ſcientijs, quare arguit hominem percontatorem, curioſum, inquietum; ſi nigræ, tunc dices, hominem malignum, Infidelem, aſtutum, cui cordi ſint doli, deceptioness, & inſidiæ; ſi ſuperabunt roſeæ irriſorem, & vafrum vocabis, adulatorem, cui tamen nihil credere debeas, aleatorem, & deceptorem callidum; qui neminem amabit, præ inconſtantia ſua, facile peregrinabitur, & ſeruiet libenter maioribus, & facile ſe in omnes vertet facies morum; Proteum enim referet, at ſi valde purpureæ, & cruentæ apparuerint punctis ſimiles, homicida erit, & quot puncta. tot homicidia perpetrabit, aut perpetrare cogitabit, niſi quid impediat, quæ tamen ſi in ſiniſtra manu contigerint omnia vana erunt, nullumque ſortientur effectum; ſed iam de Luna lunarique parte vnguis dicendum eſt.

Lunam omnium planetarum mobiliſſimam, & velociſſimam dicunt, quare ea quæ ab ipſa pendent, quæque ſub ſua dominatione, & cuſtodia contineri dicuntur, omnia ad mutationem, & corruptionem paratiſſima arbitrantur; Lunaris igitur ab his dicitur homo, cui digitus hic ex parte exteriori maculis ſcatet, ſubalbis, confractis, inæqualibus, & ad colorem aquę accedentibus, hoc eſt, penè colorem oculorum agni imitantibus. Lunares homines volunt eſſe leues, atque aliquando concitatos, alias deſides, & ſegnes ad actiones, naturam ſi quidem aquę imitantur; quare ponunt eſſe temperamenti pituitoſi, ſed pituitam volunt eſſe naturalem, non autem muccoſam, verum quę dicitur inconcoctus ſanguis, & imperfectus. Sin autem nigrę fuerint maculę, quę locum Lunę occupabunt; Virum infęlicem, in amabilem impurum, ſordidum, omnibus deſpiciabilem nominant, qui nihil vnquam conſequatur, eorum, quę deſiderat, patientem tamen in aduerſitatibus mediocribus, quod ſi mediocritatem calamitates exceſſerint, fiet furibundus, & qui neque ſibi neque alijs parcat, Mare enim dicunt, imitari quod & ſi nullis ventis exterioribus, aut à fundo etiam excitatis vaporibus agitetur, continue tamen mutatur, ſed certum ſeruat ordinem, & enim motum Lunę ſequitur, at ſi a cauſis externis, vt pote ventis mouebitur, ſi lenes ſint, ſe tractari ſinet, & naues perfert; at ſi vehementiores fuerint, et oriuntur ſæuiſſimę procellę, diſijciuntur, naues, franguntur

guntur remi, antemnę, mali, & demum homines ſuffocantur, in profundum demerguntur, et à piſcibus deuorantur, peſſimæ igitur ſunt nigrę maculę, roſeæ in Lunæ parte repertæ dant vxorem, aut amaſiam, aut filias, & matrem impudicam, & multis amatoribus gaudentem; hominem vero impurum, impudicum, & indiſtinctè quacunque venere vulgari gaudentem; quod ſi cum roſea macula apparebunt puncta nigra, aut liuida, morte peribit violenta propter ſuos inceſtus, et vetitos concubitus. Purpuram aut cruorem referentes, quas alij martiales, alij ſolares appellant; ſiue Solis ſint, ſiue Martis, propter honores, & dignitates, futuras contentiones magnas pernuntiant, & ſi puncta nigra apparuerint volunt hominem ob prædictas cauſas interficiendum, aut grauiſſima vulnera ſuſcepturum, quod ſi hæ maculæ mulieri aderunt, in parte ſiue manu ſiniſtra, ſuberba, & immitis erit fœmina, inſtabilis, et vere lunatica, et propter hanc ſuam ſuperbiam, & iracundiam, et procacitatem ſæpe vapulabit. Mixtæ, et multiplices maculæ, in quibus, et pallor, et ſubcaſtaneus appareat color hominem indicant male moratum, qui neminem præter ſe ipſum amet, nemini credat, omnes deſpiciat, ſe ſolum ſapientem putet, quo fiat, vt odioſus, et deſpectus ſit alijs, tum propter hoc, tum quoniam ſordidus erit, et animo, et corpore, fædatis, et mucidis veſtibus lætatur, circa quem noua, pulchra, et nitida veſtimenta cum poſita ſunt, videntur ſcruta; et rancidi, et ſitu pleni panni. Hæc igitur et his ſimilia ſunt quæ à quodam magno chyromantes aſſeruntur, quam rationabiliter, ipſe viderit. Cæterorum Planetarum non meminit auctor. Ex his igitur, vt arbitror, apparet quid ſint vngues, ex quibus, et à quibus, et quomodo fiant, quæ ſignificent, ſecundum quantitatem, colorem, et figuram; tum Phyſice, hoc eſt cum ratione aliqua, et naturali, tum ſecundum chyromantiam; quæ nulla ratione ſuas firmat, aſſertiones, et quibus plerunque etiam contradicit experientia.

Quædam diuinationum ſpecies enumerantur. *Cap. XXIII.*

ET quando chyromantia, diuinationis quædam ſpecies eſt, quamque, et nunc, et alibi diligentius reprobaui, poſſet credere aliquis, me omnes diuinationum ſpecies reijcere, quod tamen falſum eſt, aliquas enim omnino puto admittendas, om-

nes

nes nego. Nam diuinationum, et prænotionum aliæ irrationabiles ſimpliciter, aliæ quarum rationem, et cauſam nos reddere non poſſumus, vel ex natura ſua, quoniam non habent cauſam, vt auguria, et extorum inſpectiones, vel habent quidem ſed diuinam, et ſoli Deo cognitam, nobis autem ignotam; vt ſunt pręnotiones, et prædictiones prophetarum quæ fiunt Deo iubente, ab Angelis, vel Deo permittente à ſpiritibus malignis, dicunturque ignotæ quoniam à nobis illarum nulla poteſt aſſignari ratio. Quæ irrationabiles ſunt, ex parte ſui, quoniam in ſe ipſis nullum habent rationis veſtigium, ſunt iſtæ chyromanticæ prædictiones. De ſingularibus enim futuris contingentibus nulla afferri poteſt ratio propter quam ſic, quam oppoſitum ſuccedat magis, et cauſa eſt, quod non entis non eſt ratio, non eſt autem exemplum, inductio, enthimema, quod non ſit ſyllogiſmus, vel ad ſyllogiſmum non reducatur, neque eſt ſyllogiſmus ſine propoſitione vniuerſali; omnis autem propoſitio de materia contingenti ſemper falſa eſt, ſi non ſecundum totum ſicut ieſt affirmatiua de materia impoſſibili, vt omnis homo eſt lapis; ſaltem ſecundum partem, vt omnis homo eſt bonus. At in ſyllogiſſimo ſi altera propoſitio falſa erit; Nihil veri per ſe nunquam ſequetur, ſed tantum aliquando per accidens; Attamen verum eſt, quod harum contingentium aliæ ſunt vt plurimum, & in pluribus, quæ vocantur contingentia apta nata, & ordinata, habentque cauſam certam, deficiunt tamen à neceſſario quoniam impediri poſpoſſunt; Vt orietur mihi filius cum quinque digitis in manu, non ſane neceſſarium eſt, attamen vt plurimum contingit hominem ſic oriri, niſi ſit quod impediat. De hoc contingenti apto nato, ait Ariſtoteles, fieri rationes, & ſyllogiſmos, atque artes plurimas circa hoc contingens verſari; Quod vero contingens eſt inordinatum, & quod non magis hoc, quam illo modo eueniat, cauſam vllam habet, de hoc non eſt ſcientia, neque vlla rationabilis aſſertio; Vt qui cras tibi naſcetur puer erit vir militaris, vel doctor magnus, vel poſt annum nobiſcum cęnabis, id a nullo ſcitur, quoniam neque ratio afferri poteſt, de non ente enim ſimpliciter nihil aſſeritur; Hæc autem contingentia inordinata, ante quam fiant, nullo modo eſſe dicuntur, niſi forte vt ſomnia ſint in animo. Quare Aſtrologicæ prædictiones chyromanticæ, & metopoſcopicæ nullam in ſe veritatem habent, quoniam neque rationem, neque experientiam nactæ ſunt, quibus confirmentur; quid enim veritatis, aut rationis in ſe habet hoc metopoſco-

porum effatum? cui linea ſecunda frontis recta fuerit, & continua, ille vel Princeps, vel primus in ſua familia, principibus erit carus; Nemo eſt qui non ſentiat, inter ſubiectum, & prædicatum, nullum cadere medium, quo hæc extrema ſimul iungantur, quin quomodo hæc obſeruatione ſciri poſſunt? cum obſeruatio ſupponat, vel ſit ipſamet experientia, hæcque fiat multis memorijs circa eadem ſpecie indiuidua verſantibus, memoriæ multas ſenſationes ſupponunt; At in Aſtrologicis pro confeſſo habetur, niſi poſt longiſſimum tempus annorum ferè 36000. eandem cœli faciem, quæ nunc eſt, redituram, & hominis naturam iſtius, qualis eſt hæc Socratis, nunquam fuiſſe. Hominum facies ſunt infinitæ, & caſus infiniti, quare neque de his eſt, quod aſſeri poſſis, nam cauſam non habent, quæ caſu eueniunt, & infinitorum non eſt vlla ſcientia, vel cognitio. Quid enim commune pollici, & laqueo? vt ſi cui vltimus pollicis nodus circulari cingatur linea naturaliter, quod ille ſuſpendetur? addamus rationem, ſi enim hæc contingentia ad verum libet eſſent determinata, ergo altera pars contradictionis eſſet vera, & altera falſa, habebunt igitur cauſam determinatam, contra id quod ſentit Ariſtoteles in libro perihermineias; Quæ autem prænotiones aliquid probabilis habenti illæ ſunt politicæ, vel naturales; Dico naturales cognitiones nauticam, medicinam, agricolturam, & huiuſmodi quæ cauſam habent certam, deficiunt tamen à neceſſario, quoniam impediri poſſunt cauſæ, ne ſuum producant effectum; Politicæ autem obſeruationes ad prudentiam referuntur, & ipſæ cauſam habent, licet contingentem, & natam impediri, eſt politicum axioma, inimicis fugere, & cedere volentibus aperienda eſt via, & dandus omnino locus; Hunnis fugientibus, & cupientibus Italiam liberam linquere non conceſſerunt Itali, & a deſperatis victi, atque occiſi fuere, his accidit enim tunc quod dicitur; Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem, præter hæc duo genera futurorum contingentium, quorum alterum ad ſcientiam naturalem, alterum ad prudentiam refertur; Nihil certe probabiliter aſſeri poteſt, & nugas, ac impoſturas iudicabimus, & vana omnia alia diuinationum genera, quæ ab hominibus Deum deſerentibus tentantur; In his autem quæ actenus à nobis dicta fuerunt, ſi contrarietates reperiantur, mirum non eſt, quoniam varia hæc ſunt parumque ſtabilitatis habentia, & à varijs auctoribus tradita varie.

Quædam chyromantum placita. Cap. XXIV.

COnfecto hoc tractatu, in manus meas incidit quidam libellus ſitu, & vetuſtate conſumptus, in quo ſequentia problemata ad vngues pertinentia legebantur, nullis tamen rationibus ſuffulta, ſtigmata vocat ille puncta, in vnguibus apparentia. Horum primum eſt.

1 Omnia ſtigmata alba bona, nigra mala; Noto ego bonum, & malum dici multipliciter, neque ideo ſcio quid boni indicent corporis, an animi, aut fortunæ, vt aiunt; Amplius albedo hæc indicat pituitam in cerebro, & neruis prævalere, at quid boni portendat pituita, & quid mali melancholia ſecundum ſe non video, niſi cum improportionabiliter cum alijs humoribus fuerint coniunctæ.

2 Vngues oblongi candidi ſplendentes boni ſunt, & moderatum ſignificant hominem. Crederem potius ſanum, & robuſtum, tales enim vngues ſecundum naturam.

3 Candidi longi, tenues, lucidi, ſub rubentes, optimum indicant ingenium. Nam cerebrum bene diſpoſitum, purum, & tenue docent, credo, & iudicium.

4 Oblongi ſtricti, acuti dant conſtantem, ſed non admodum ingenioſum; Cur adſit conſtantia in habentibus tales vngues non video, duros potius dicerem vngues hoc indicare.

5 Inflexi tardum, rapacem, impudentem. At tarditas, & rapacitas male videntur conuenire, rapacitas, & impudentia à calore eſt, & a bile, tarditas frigoris eſt opus: tardæ teſtudines, tardæ chocleæ; quæ frigidæ ſunt, & terreſtres.

6 Valde parui, maleuolum, & contentioſum; Huius dicti nullam rationem video, potius muſculorum, & neruorum poſſent arguere debilitatem, ſed, vt puto, auctor in vnguibus vt in alijs nugatur.

7 Pallidi, aſperi, rotundi, luxurioſum. Sed neque hic cauſam ſcirem inuenire, puto ſolum oſtendi in cerebro, & neruis notari prædominium melancholiæ, & caloris naturalis remiſſionem.

8 Alba ſtigmata in digito Iouis, hoc eſt in vngue indicis, denotat honores, et dignitates; Nigra infamias, & diſpendia patrimonij. Ridicula ſanè poſitio, quid enim maculis digitorum cum honoribus eſt commune?

9 In vngue digiti Saturni, hoc eſt medij, alba rem augent fa-

mi-

miliarem per agriculturam, et mercaturam, eiuſdem diſpendium, ſi nigra fuerint. Si ergo magnatibus, et principibus, nec alba, nec nigra naſcentur in vngue medio ſtigmata, vtpotè qui neutram exercent.

10 Solis vnguis ornatus albis punctis indicat carum principibus, nigris odioſum. Piget harum rerum irrationabilium rationem quærere velle: quid principi cum meis punctis vnguium?

11 Mercurij alba artes, et ſcientias donant; Nigra puncta ignorantiam, et inertiam ſignificant, hic autem eſt digitus minimus.

12 Marti dicatus eſt dimidiatus vnguis pollicis à parte remotiori ab indice; alba ibi ſtigmata fortunatum in bellis; nigra violenta morte periturum, ſed nihil adeſt veritatis, in hac aſſertione ſicut neque in alijs.

13 Veneris alba fortunatum cum mulieribus, nigra futurum propter mulieres infamem; At ſicuti dictum eſt, ſi colores iſti arguunt vel pituitam, vel atram bilem ſuperare non video, quid cum mulieribus conueniat.

14 Alba puncta diſperſa, radioſa, nihil boni, et nigra nihil mali portendunt, ſecus dicendum ſi eſſent vnita; ſed vt dictum eſt, ſæpius de his agere ridiculum eſt.

De Chyromantum decretis diſputatio. Cap. XXV.

POſtquam extremam, vt dicitur manum impoſuiſſem huic tractatui; Mandatum fuit ab his, quibus non obedire mihi nefas eſt, vt iterum atque exactius examinarem hæc chyromantum decreta; et eorum rationes ſi quas haberent, referrem, et relatas reicere, et explodere tentarem: Dixi me de his ſupra in cap. 10. ſatis ſuperque diſputaſſe; iterum hæc referre eſſe acta agere. Verba mea admiſſa non fuere, et ſeuere iuſſum fuit, vt omnino id agerem, et dicta chyromantum denuo examinarem, et confutarem. Demiſi auriculas, et quod potui exequutus ſum, ſi cui igitur aliquando viderer ſuperfluus, et diceret ſtomachoſus.

Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.

Reſponderem maioribus obſequendum; meliuſque eſſe obedire, quam ſacrificare, vt aliquando dici audiui. Aggrediamur igitur opus, et ſi in capite 10. dicta vera, et bona fuere, poterant non deſplicere; et repetita etiam placebunt, ſin autem nihil in

eo capite habetur, quod intellectui ſatisfaciat, forſan quæ hic vberius explicabuntur, arridebunt. Putaui ego ſemper, et nunc etiam puto minimum veritatis reperiri in reſponſis ſingularibus aſtrologiæ, pyromantiæ, hydromantiæ, geomantiæ, necromantiæ, ac demum omnium ſortilegiorum, quæ præſumunt de ſingularibus futuris contingentibus aliquid certi enunciare, contradixi his ſupra vniuerſaliter; Nunc operæ pretium eſt eos audire qui contraria ſentiunt; Igitur ſi qui vnquam hæc legerint, tantumque otij illis ſuppetet; Ex his forſan intelligent.

Me non omnino carpendum eſſe, ſi moroſe nimis videar, inſultaſſe in chyromantum placita cum eorum de vnguibus, et vnguium maculis aſſertiones damnauerim, vt potè qui putauerim nihil ex vnguibus vnguiumque paſſionibus conijci poſſe. Non tamen nego, quin naturaliter ex eorum contemplatione, et inſpectione cognoſci quedam poſſint. Quod docuit Hippocrates, et id ego etiam fateor. Sed de vnguibus duo prædicatorum genera afferi poſſe arbitror, rationabile alterum, et alterum irrationabile, priora amplector, poſteriora reijcienda, et explodenda opinor, idq; tum commune dicto, quod eſt, erubeſcendum eſſe ijs, qui ſine ratione loquuntur, tum Ariſt. auctoritate, qui 8. Phyſ. contra Empedoclem diſputans, ait, nullam propoſitionem non per ſe notam, quaſi dignitatem, et tanquam per ſe notam ſine aliqua probatione admitti debere; ſiue (vt ait Aueroes) à priori, ſiue a poſteriori oriatur probatio. Sed ne videamur, quod aiunt chyromantas inauditos condemnare, audiamus illos, vt & nos audiamur. Dicent chryromantæ, ſi vngues vnguiumque paſſiones nihil indicare putabas, cur tempus terendo de his egiſti? Si aliquid oſtendere credis cur nunc damnas? Poſſem reſpondere, quoniam puto vnguium paſſiones aliquid indicare, ideo de illis mentio facta eſt, at quoniam non puto ea omnia, quæ chyromantæ dicunt eſſe vera, ideo ea ipſa explodo, vt pote quæ ſine ratione enuntiantur. Amplius prædicata quæ de vnguibus dicuntur alia ſunt penè neceſſaria, & cauſam habent internam, vt in hectica febre vngues incuruari, & liuorem in laborantibus acuto morbo indicare mortem eſſe propinquam, cum naturalis calor iam extinguatur. Alia ſunt non neceſſaria, ſed tamen aliquod habent rationis veſtigium, qualia ſunt accidentia, quæ à neceſſario deficiunt, quoniam impediri poſſunt, vt paruos, & molles vngues arguere debiles tendines, quare corporis imbecilitatē,

& car-

& carnis mollitiem; eſt hoc forte non erit, quoniam labore, & exercitio factus eſt in oppoſitam diſpoſitionem tranſitus; At tertia prædicatorum ſpecies quæ nullam penitus rationem, nullumque nexum cum ſubiecto de quo dicuntur, habet, cur credenda ſit, non video.

Talia ſunt chyromantum placita; Vt cum dicunt, alba ſtigmata in vngue indicis indicare honores, & dignitates; Nigra infamiam, & depreſſionem, paruos vngues maleuolum, & contentioſum ſignificare, & his ſimilia, quæ quamuis ſpecioſa videantur, in his tamen nihil eſt, quod intellectui ſatisfaciat, & profecto non videntur credenda. Secundo dicunt, omnis actio, electio, & omnis humana facultas, & deliberatio bonum quærit, idque ſibi proponit bonum, & verum ſunt idem, & conuertuntur, chyromantia eſt actio, & facultas quædam, ergo bona eſt, (a fine enim res denominatur) ſi bona ergo vera, ergo chyromantæ aſſerunt erunt vera. An ſicuti duplex bonum, aliud ſimpliciter, aliud ſecundum quid, & illud per ſe, & certum, hoc vanum, & apparens, ita etiam de vero ſentiendum eſt; Cupit vinum pleuriticus, & hoc illi eſt mortale igitur bonum non eſt hoc, ſed apparens, & fallax: Ita verum dicitur multipliciter, aliud neceſſarium, qualia ſunt prædicata omnia per ſe, de omni, & vniuerſaliter de ſubiecto (loquor autem de vero complexo, quod in enunciationibus reperitur) & de hoc vero ſunt demonſtrationes, & ſcientiæ. Alterum eſt non neceſſarium quidem, attamen contingens ordinatum, quod eſt in pluribus, & probabile vocatur, vt filium mihi naſciturum cum quinque digitis in manu, in diebus brumalis ſolſtitij futuram glaciem, & frigus. Tertia veri ſpecies ea eſt, quæ ab intellectu determinatur, ſiuè per artem, ſiuè per prudentiam, & appellatur veroſimile; vt ſenes eſſe parcos, pueros, & fœminas garrulas; Circa igitur ordinatum contingens verſantur hæc duo veri genera. Quorum vnum eſt a natura, alterum ab intellectu, Natura, & intellectus poſſunt impediri, ne ſuum finem conſequantur, magis tamen intellectus quam natura, ideo dicimus, quæ a natura facienda ſunt, vocari probabilia, quæ autem ab intellectu, ſic vero ſimilia; Vt ſtatuam quam faciet Polycletus veroſimile eſt futuram pulchram, quoniam eſt bonus ſtatuarius. Vltimum dicitur verum apparens, & ſophiſticum in quo nulla ratio, nullum apparet medium, quo ſubiecto nectatur prædicatum. De hoc genere ſunt chyromantum, Aſtrologorum, & haruſpicum, &

ma-

magorum placita, in quibus nihil veri nihil probabilis, aut veriſimilis exiſtit, & apparet ijs, qui mente conſtant.

Inquiunt demum Deus, & natura nihil faciunt fruſtra, ſtigmata, & cæteræ vnguium paſſiones ſunt à Deo, & à natura, ergo non ſunt fruſtra, effectus igitur naturæ, ergo formæ vel materiæ, ergo ſubiecti in quo ſunt, & eſſentiam, & operationes denotant. Dicerem naturam non impeditam, ſuo fine nunquam fruſtrari, & quoniam contingit naturam, & præſertim particularem plerunque impediri, ideo fruſtrari, & cæptam amphoram in vrceum exire; talia ſunt hæc ſtigmata, quæ a natura impedita naſcuntur, & caſu facta dicuntur, quorum nulla ſcientia eſt, nullaque cognitio, ſunt enim infinita caſualia, & quare ſciri nequeunt.

Amplius differt dicere aliquid eſſe ſecundum naturam, & à natura, & præter naturam; ſecundum naturam homo habet vngues, à natura quod ſint longi, vel lati, curui, aut recti, at præter naturam liuidi, vel nigri, quod autem ſint puri, vel ſtigmatibus inſigniti, non eſt ſecundum naturam, neque præter naturam, ſed à natura quidem, & forte aliquid ſignificant, vt pituitam, vel bilem præualere in tendine, non ideo tamen ea omnia; quæ dicunt chyromantæ. Multæ enim ſunt cauſæ, à quibus natura poteſt impediri, nè ſuum exquiſite conſequatur finem.

At dicere quod albæ maculæ faciant fortunatum, nigræ infortunatum, profecto eſſet infortunium illius, qui hoc crederet, vel vt cauſa, vel vt ſignum. Ego ſane arbitror non ſolum ex communibus, ſed ex proprijs etiam oſtendi poſſe hanc propoſitionem eſſe veriſſimam.

Vnguium figuræ, paſſiones, & maculæ non ſunt indicia vllius futuri, ſingularis, contingentis fortuiti, quod de ſubiecto cuius ſunt vngues rationabiliter determinari poſſit. Pro cuius effati probatione ſuppono. Contingens futurum dici id quod non eſt; ſed ſi ponatur eſſe nullum ſequetur abſurdum. Quare cum poſſit ad eſſe, & ab eſſe, accidens eſt eius, cui aduenire poteſt; Hoc autem duplex eſt, alterum habet cauſam in eo cui ad eſſe poteſt, quod dicitur contingens ordinatum de quo dictum eſt ſupra. Vt hic puer feneſcet; fiet enim niſi perierit. Alterum vocatur inordinatum, non enim cauſa vlla eſt in ſubiecto, cui dicitur aduenturum, propter quam potius hoc, quam oppoſitum illi eueniat; Vt Socrates in militiam proficiſcens fiet diues, de hoc ſingulari fortuito contingenti nobis eſt ſermo, de quo nihil

certi

certi prædici poſſe aſſerimus & contradictionis de hac materia pronunciatæ pars neutra eſt determinate vera, alterutra attamen, ſed indeterminate, vt in lib. Perihermenias docetur.

Cauſa propter quam de futuris contingentibus ſingularibus nihil certi aſſeri poſſit hæc eſt, quoniam non ſunt. Non entium autem ſecundum quod non ſunt, nihil vere prædicari poteſt, niſi quod non ſunt; quare cum dico cras Achilles vincet Hectorem, cras non vincet Hectorem, Antequam craſtinus adueniat dies nihil affirmari, nihil verè quoquam negari poteſt ante pugnam, niſi forte ex aliqua coniectura poſſet quidam credere magis affirmationem, quam negationem, ſed hæc ſuſpicio eſt, non ſcientia, aut rationabilis opinio; Quod ſi hę ſuppoſitiones veræ ſunt, manifeſtum etiam erit ſuſceptam propoſitionem eſſe veram & primum ex Ariſtotele ſecundo Phyſicorum. Omne fortuitum eſt a caſu, quæ à caſu ea indefinita ſunt, & ignota per ſe, quare, & homini immanifeſta, quæ à chyromantis aſſeruntur ſunt fortuita, ergo homini inmanifeſta, ergo neque ſciri neque prædici poſſunt. *Vt Socratem in militiam proficiſcentem reuerſurum eſſe,* nec periturum. Quod ſi hæc neque ſciri neque prædici poſſunt, qui hæc tentant, quaſi Gigantes cum Ioue pugnaturi quæ unt ſuper imponere Pelion oſſa.

Amplius ſi complexa veritas eſt adequatio rei cum intellectu, quando res non eſt, cum illa non adequabitur intellectus, ſingularia contingentia futura non ſunt, antequam fiant præſentia, ergo cum illis adequari mens non poteſt, aut dicere quod hoc erit, aut non.

Et natura contingentis ſingularis inordinati hæc eſt vt eius neutra pars contradictionis ſit determinate vera, vel falſa vt dictum eſt prius. Nam ſi altera pars poſſet dici determinate vera, haberet aliquam rationem, ergo eſſet contingens ordinatum, at ſuppoſuimus eſſe inordinatum; ea autem dicuntur inordinata eſſe, quæ non habent rationem, & cauſam propter quam ſic magis, quam aliter ſint diſpoſita, ſecundum prius, & poſterius, etenim inter cauſam, & cauſatum eſt ordo. Ex natura igitur fortuiti ſingularis contingentis inordinati colligitur, chyromantum aſſertiones, quæ de his rebus ſunt eſſe omnino vanas. Adde ſingularia quatenus talia ſunt infinita, quare nec ſciri, nec numero, aut mente comprehendi poſſunt; Et cum non ſint, de his nulla propoſitio vniuerſalis, quæ ſit vera formari poteſt; Nam ex Ariſtotele, omnis propoſitio vniuerſalis contingens

ſem-

ſemper eſt falſa; Adde quod ſingularia indiuidua quatenus talia ſunt, conſtant ex tot proprietatibus, quarum collectio in vllo alio reperiri non poteſt. Quare quamuis in Socrate ſit idem accidens, quod in Platone apparet, diuerſitas tamen aliarum proprietatum, in quibus non conueniunt Plato, & Socrates, adeo auget, minuit peruertit illud accidens vtrique commune, vt neque idem indicare, neque cauſare poſſit. Eſt vtrique acutiſſimus naſus: hoc dicit Ariſtoteles eſſe magne iracundiæ ſignum; aſt non ideo vterque eodem modo eſt iracundus, nam Socrates dedit operam Philoſophiæ, & temperamenti eſt pituitoſi cum ſubdominio melancholiæ; quare totus eſt manſuetus. & patiens, Plato bilioſus eſt, & militaris. Cum itaque Socratis omnia accidentia poſita ſimul in Platone eſſe nequeant; Aliter Plato non eſſet Plato, ſed Socrates, manifeſtum eſt quod quæcunque de Socrate, prædicantur, & ſingillatim, & adunatim Platoni accomodari non poſſunt. Quo fit vt nullum formetur vniuerſale, & omnis ſcientia, & facultas ſit nulla, quæ de his tractat ſingularibus.

Sed forte ex magis proprijs id ipſum etiam confirmari poteſt. Principia propria alicuius concluſionis ea dicuntur propter quæ prædicatum ineſt ſubiecto, hoc eſt quæ ſunt cauſæ propter quas prædicatum dicatur huic adeſſe, cauſa duplex altera eſſendi, altera cognoſcendi, vt atque medium dicitur, quare omnis quæſtio eſt medij quæſtio. Si ergo erit aliquod medium quod ſubiecto iungat prædicatum, prædicatum, profecto aliquid de futuris contingentibus ſigularibus præſciri poterit, at ſi non eſt medium, neque vt cauſa eſſendi, neque vt ſignum cognoſcendi, vanum erit credere, quod certi aliquid prædici poſſit. Dicit chyromantes Achilles ſuperabit Hectorem in ſingulari certamine, quoniam habet maculam albam, & radioſam in parte externa vnguis pollicis. Ita igitur ille ſyllogizabit, omnis habens albam maculam radioſam in vngue pollicis fiet victor in futuris certaminibus; Achilles habet has maculas erit victor in futura pugna cum Hectore; Minorem confirmat viſus; At maiorem non ratio, non experientia confirmabit, aut quæ ex experientia naſcitur, inductio; Neque enim inductio certum, & ſtabile colligit vniuerſale, niſi cæperit indiuidua, vt talia quædam, non autem vt hæc aliqua. Exempli gratia colligo ego, omnes homines natura quærere ſcientias, inducens Socratem, Calliam, Platonem eſſe homines, & eoſdem cupere ſcire, ſed ſcire cupiunt, non qua-

tenus

tenus hic eſt Plato, ille Callias, ſed quatenus tales ſunt, nempe rationales, quare meritò inductio ad ſyllogiſmum reduci dicebat Ariſtoteles, & eſſe principiorum ſyllogiſmum; per inductionem, particularia enim cognoſcimus ſpeculando propter quid omnis homo ſcire cupiat; Huius propoſitæ quæſtionis extrema ſunt, Achilles, & futurus victor in certamine, medium maculæ albæ in pollice, at hoc medium nullam habet connexionem cum victoria futura, non vt cauſa, non vt ſignum, neque ex eadem coordinatione ſumptum eſt, nihil igitur concludet, cauſam nemo audebit dicere, quonia ex definitione macularum huiuſmodi nunquam inferes victoriam; ſicuti ex iugulatione mortem Cauſa igitur hæc non eſt, niſi forte per accidens, quare infini; nita, & ideo ignota; Neque vt ſignum, nam ſi macula alba radioſa in pollicis vngue exiſtens eſſet victoriæ ſignum vel per ſe, & neceſſarium, vel non per ſe, verum per accidens, ſi per ſe, ergo futura victoria in ſua ratione acciperet hominem habentem maculam albam in pollice, eſſet enim prædicatum in ſecundo modo dicendi per ſe, quod ſi hoc non eſt, ergo erit prædicatum per accidens, indeterminatum igitur, & indefinitum, & ignotum; Non enim de his prædicatis eſt ſcientia, vt teſtatur Ariſtoteles, & in primo Priorum, & Poſteriorum, & in ſecundo Phyſicorum. Si ergo ex eadem coordinatione non ſunt macula alba in pollice, & victoria in pugna manifeſtum eſt, quod nihil commune eſt inter medium, maius extremum, quare neque ex his maculis poterit chyromantes inferre futuram Achillis victoriam; Innata enim nobis eſt via, vt per hoc principium ad hoc medium, & hoc per medium ad hunc finem veniamus, hæc autem ſunt neceſſario inter ſe coordinata, neque eſt medium, niſi extremorum medium, & niſi extrema fuerint, non erit medium; Quæ coordinatio non eſt voluntaria, & ſecundum placitum, aut pactum noſtrum, ſed oportet, vt ſit realis, & in re ipſa exiſtant medium, & extrema, cum ergo victoria futura nihil commune habeat cum ſtigmatibus, neque ſtigmata cum victoria, ex ſtigmatibus velle victoriam inferre profecto eſt ridiculum. Dixeris forſan eſſe accidens non neceſſarium, ſed contingens in pluribus, & concluſionem non neceſſariam, ſed probabilem inferri; At Ariſtoteles docuit nos primo priorum contingens vt in pluribus habere cauſam, & ideo dici ordinatum, & quoniam huiuſmodi contingens habet, cauſam, ideo habet medium, quare de hoc contingenti plurimas facultates, & artes

tractare, & de hoc fieri ſyllogiſmos, & contemplationes affirmat, ſed dictum eſt, maculam cum victoria comparatam eſſe contingens inordinatum, neque cauſam victoriæ, neque ſignum per ſe eſſe illius. Amplius oſtenſum eſt albam maculam in pollice exiſtentem eſſe portionem excrementi pituitoſi, quod fugit actionem caloris naturalis tendinis ſeruientis motui pollicis; ex qua definitione Sole clarius apparet, maculam hanc albam, cum victoria futura Achillis nihil habere commune, nihilque de hac futura pugna, quod ſit certum, prædici, aut præſciri poſſe a chyromantis.

Dicunt ſtellas, quæ deſtinarunt Hectorem ab Achille ſuperandum, eaſdem ſignaſſe Achillis pollicem. Miſeræ, aut valdè ocioſæ ſtellæ, quæ in his occupantur quiſquilijs, nobilium nobiles ſunt actiones, nobiliſſimæ ſunt ſtellæ inter entia, vt dicitur ſecundo Cæli ergo in his nugis non occupantur; Scilicet hic ſtellis labor eſt, ea cura ſollicitabit cęleſtia corpora? An accidet, quod de Ioue dicit Lucianus ſuo illum detineri circa pingendas alas papilionum, ſed ad rem; Hanc puto eſſe certiſſimam, & indubitatam petitionem principii, dicere ſtellas determinaſſe vincendum Hectorem ab Achille; Primum quomodo hoc ſciri poteſt? quoniam neque ſtellæ vnquam habuerunt inter ſe hanc habitudinem, quam nunc habent, neque Achilles, & Hector alias fuerunt.

Adde cauſæ æternæ, & per ſe faciunt effectus neceſſarios, & æternos, & per ſe, Achilles, & illius victoria eſt quid contingens, & Achilles indiuiduum, & ens corruptibile, & per accidens, non ergo huius victoriæ cauſæ ſunt aſtra; Dicere igitur deſtinatum fuiſſe Hectorem ſuperandum, & hoc eſſe decretum ſtellarum abſurdum eſt, nam vniuerſalium, & æternorum vniuerſales, & æternæ ſunt cauſæ, ſingularium ſingulares, non ergo ſtellæ victoriam Achilli decernunt ſingulari indiuiduo contingenti, & enti per accidens.

Adde, *Continuum eſſe inferiorem hunc mundum ſuperioribus lationibus, vt omnis eius virtus inde pendeat.* Veriſſimum eſt, & Ariſtotelicum placitum, ſed pendent hæc inferiora ab illis ſuperioribus vniuerſaliter, non particulariter, & vt talia, non vt hæc aliqua. Dices particularia ſub vniuerſalibus ſunt, quare, quæ de vniuerſalibus, ea de particularibus neceſſario dicentur, ait Ariſtoteles in prædicamentis. Animal dicitur de homine, ergo & de quodam homine, nam ſi non de quodam, ergo de nul-

lo di-

lo diceretur, quare neque homo eſſet animal; Quapropter ſi aſtra aſtrorumque diſpoſitio, & influxus cauſa eſt, quod Turcæ peſte laborent in conſtantinopolitana vrbe, erunt etiam cauſæ, quod ille Baſſa, ſiue dux exercitus peſte conſumptus fuerit, nam niſi aliquis particularis Turca peſte periret, ergo etiam nullus periret, at ſuppoſitum eſt illos peſte perire. Vt nodus hic ſoluatur. Sciendum eſt Ariſtotelem in primo priorum nos docuiſſe; Quod ſi in prima figura, & primo eiuſdem modo fiat iugatio ex maiore neceſſaria, & minore contingenti ſequetur concluſio contingens, & de contingenti, quod per deductionem ad impoſſibile oſtendam; Sit propoſitio de neceſſario omne b. neceſſario eſt a. & de contingenti contingit quoddam c. eſſe b. dico ſequi, ergo contingit, quoddam c. eſſe a. quare, & contingit quoddam c. non eſse a. Natura enim hæc eſt contingentis, & præſertim inordinati, vt cum oppoſito conuertatur, vt contingit quemdam hominem eſse ſanum, ergo & contingit quemdam non eſse ſanum; cauſa eſt, quoniam contingens eſt id, quod non eſt, ſed ſi ponatur in eſse nullum ſequitur abſurdum; quarè contingens quò magis eſt contingens eo minus exiſtit verum.

Quod autem prædicta concluſio, quæ eſt contingit quoddam c. eſse a. ſit vera probatur, nam niſi, hæc ſequatur, eius contradictoria ſequetur, quæ eſt quoddam c. non contingit eſse a. Impoſſibile igitur quoddam c. eſse a. neceſsario igitur non quoddam c. eſt a. Nullum ergo c. eſt a. & omne b. eſt c. ergo nullnm c. eſt b. quod contradicit minori primi ſyllogiſmi, dicentis quod contingebat quoddam c. eſse b. nunc autem concluſum eſt neceſsario nullum c. eſse b.

Cœlum eſt cauſa vniuerſalis, & eius effectus impediri vniuerſaliter non poteſt, at particulariter, & in aliquo ſingulari poteſt. Verum eſt, quod exiſtente ſole in tauro florebunt arbores, at non florebit ficus, non pinus; dices florebunt pira, poma, oleæ, at neque omnes, nam quæ ſunt in locis frigidis, neque à Sole calefactis, & quæ aut frigore, aut ſenectute penè exaruere non florent; Atque hæ arbores non florent, cum male ſint affectæ, quare vim ſolis non recipiunt, omne enim recipiendum ſe ſe habet per modum recipientis. Patet igitur quod ex cœlo ſtellisque, quamuis neceſsarijs, effectus contingentes, & non neceſsarios, qualia ſunt hæc noſtratia, ſequi poſse.

Magna profectò eſset petitio principij ſiquis vellet ſtellas in

noſtros vngues, modo albas, modo nigras maculas inducere, & has, abolere illas imponere prout res ſunt futuræ.

Indiuidua hæc corruptibilia in tantum ſtellis parent, & ſubijciuntur, in quantum de illo vniuerſali participant, ſub quò continentur. Vt accedente Sole ad noſtrum punctum verticalem nos incaleſcemus vehementer, at non omnes ſed hic magis, ille minus, vel propter huius naturam, aut propter ſuam induſtriam, cum ſibi cauere ſciat. Credere ergo quod omnia ſingularia à cœlo, cœleſtibuſque pendeant, & cauſentur influxibus, eſt dicere quod omnia fato fiant, nihil eſse à Fortuna, nihil à conſilio, quod eſt tollere libertatem actionum, atque ipſum arbitrium liberu n; Dictum non ſolum irrationabile, ſed etiam impium. Vniuerſum omnia continet, eſt id quod ſemper eſt, quare neceſsarium, eſt id quod non ſemper eſt, & quod vocatur contingens.

Igitur ſi tria neceſsario reperiuntur, vnum quod ſemper quieſcit, alterum quod ſemper mouetur, neceſse eſt etiam (vt docetur ſecundo Priorum) eſse tertium, quod non ſemper moueatur, neque ſemper quieſcat, ſi enim contraria ſunt, neceſse eſt, & media eſse, & hæ ſunt tres Poetarum Parcæ Atropos, Cloto, Lacheſis duo neceſsaria, & medium contingens.

Quid igitur ſint vngues, & horum ſtigmata, quid indicent, & quid non, & quod ad naturalem Philoſophum pertineat hæc contemplatio, ex his puto manifeſtum, & chyromantum placita nihil veri, nihil ſani in ſe habere oſtenſum eſt.

FINIS.

IN.

CAPITVM LIBELLI
De Vnguibus Index.

Proemium.	*Pag.*	145
Quid ſit vnguis.	*Cap.* 1.	146
Vnguium ſpecies, & differentiæ.	2.	147
Quid ex vnguium obſeruatione colligatur.	3.	148
Chyromantum de vnguibus, & maculis ſententia. cap.	4.	149
De maculis vnguium, & harum cauſis.	5.	150
De cauſis coloris, & figuræ macularum.	6.	152
De vnguium accidentibus quæ viſus cognoſcit.	7.	154
Paſſionum ſecundum ſubſtantiam, & quantitatem in exiſtentium cauſæ. cap.	8.	156
Significationes ex vnguibus de promptæ.	9.	158
Ex vnguium inſpectione aliquid inferri.	10.	159
Duræ, & mollis vnguis ſignificationes.	11.	161
Quale ſit captum ex vnguibus præſagium.	12.	163
Quid indicent aliæ tactiles differentiæ.	13.	166
Notæ à quantitate deductæ.	14.	169
Qualitates vnguium contemplari incipiuntur.	15.	171
Coloris nigri, fuſci, & lucidi in vnguibus notæ.	16.	173
Vnguium, ex figuris ſignificationes.	17.	175
Vnguis pulchri, turpis, & nodoſi, notæ.	18.	177
Macularum quæ in vnguibus ſignificata.	19.	181
Chyromantum de maculis vnguium ſententiæ.	20.	183
Indicis, & medij digiti vnguium maculæ.	21.	184
Annularis, & auricularis maculæ.	22.	188
Diuinationum ſpecies, & differentiæ.	23.	191
In chyromantum placita inquiſitio.	24.	194
De chyromantum decretis diſputatio.	25.	195

INDEX

Eorum, quæ in Libello de Vnguium præſagijs habentur.

Numerus paginam, a principium, b medium c finem notat.

A

ALimentum, à quibus & quomodo fiat album, & rubrum. Pag. 152 a
Alba vnguium puncta quid indicent. 194 c
Alios ſpernens, & ſe ſolum exaltans quomodo cognoſcitur, & quod odio habeatur. 191 b
Aeternorum æternæ ſunt cauſæ. 202 c
Antipodes Italiæ quales ſint moribus. 169 a
Aſtrologica, & chyromantica præſagia falſa. 192 c
Auari, & aſtuti ſunt mendaces, & cur. 163 b

C

CArdani præſagia; & vaticinia. 186 a
Carnes calore, & frigore liueſcunt. 173 b
Cœli effectus apud nos poſſunt impediri. 203 c
Cauſa duplex, eſſendi, & cognoſcendi. 200 b
Colores Vnguium diuerſi cur. 152 b
Coloris ſubcaſtaneus quis, & cur fiat. 182 a
Color Vnguis mixtus quis, & quid nocet. 175 b
Contingens futurum ſingulare, quid ſit, & quale. 198 c
Contradictionis futuræ ſingularis neutra pars vera. 199 a
Contingens inordinatum neſcitur. 192 c
Chyromantum rationes quæ ſint. 196 c
Chyromantum rationes ad hominem. 196 c
Chyromantum rationes ad rem. 197 a
Chyromantum rationibus reſponſio. 197 c
Chyromantum rationes ſoluuntur. 198 b
Chyromantum placita falſa. 190 b

Chyromantum placita 14. examinantur. 194 a
Chyromantum de maculis vnguium opinio. 185 a
Chyromantum de ſplendore vnguium ſententia. 173 c
Chyromantum quid ſit, & circa quæ verſetur. 149 c
Chyromantum de puris vnguibus opinio. 172 a
Chyromantum de puris, & mollibus vnguibus ſententia. ibid.
Chyromantum de leui vngue ſententia. 167 c
Chyromantum de vnguibus vniuerſalia placita. 166 a
Conuitium idem, cur hos ad iram, illos ad riſum mouet. 165 b

D

Duros habentes vngues quibus morbis tententur. 162 c
Demonſtratio quod ſtigmata vnguium nihil ſignificant. 198 c
Decretorum Chyromantum examinatio continua. 195 a
Diuinationum ſpecies, quæ quot, & quales. 191 c
Durum, & molle quid ſit. 157 c
Duri, & molles vngues quid indicent. ibid.
Duri vngues melancholiam arguunt, molles ingenium. 162 b
Difficile eſt inuenire cui tuto confidas. 174 b

E

Ex neceſſario, & contingenti ſequitur affectus contingens. 203 b
Erubeſcunt qui ſine ratione loquuntur. 196 b
Ex inſpectione vnguium quædam cognoſci, & quę. 195 c
Ex falſis non ſequi verum niſi per accidens. 192 b

F

Fortunæ ſuæ quomodo quiſque ſit faber. 160 b
Forma omnis perfectionis, materia imperfectionis cauſæ. 160 c

H

Homines ad veritatem nati, & cur. 185 b

I

Ignota nobis probabile eſt alios ſcire. 161 a
Intellectus eſt pura potentia. 164 c
Intellectus continet eminenter omnes potentias animæ. 165 a
Indiuidua, & hæc corruptibilia quomodo ſtellis pareant, & ſubijciantur. 204 b
Indiuidua ſunt numero infinita, ideo ignota. 199 c
Inferiora ſublunaria quomodo à cælo pendent. 202 c

L

Locatum à loco conſeruari, & eius naturam referre. 158 b
Lignum fragile, & lentum quale. 168 a

Lunares homines qui ſint, & lunares maculæ quid ſignificent, in quibus digitis exiſtant. 190 a

M

Maculæ vnguium quid ex quibus, & à quibus fiant. 153 a
Maculæ ſunt tertiæ coctionis excrementa. 153 b
Maculæ Vnguium ſecundum diuerſam figuram, & calorem, ad diuerſos planetas referuntur. 150 a
Macularum diſcrimina multa. 151 a
Macularum, quæ in vnguibus ſunt cauſæ naturales. 152 a
Maculæ radioſæ quomodo fiant. 153 c
Maculæ albæ quid notent. ibid.
Maculæ punctis ſimiles quid indicent. 154 a
Maculæ fuſcæ quid ſiat, & quomodo fiant. 154 b
Maculæ mixtæ quæ ſint, & quomodo fiant. 154 c
Maculæ nihil cum planetis eſt commune. 155 b
Maculæ accidentia quæ cognoſcat Vitius. 155 a
Maculæ colores ad humores referuntur. 181 a
Maculæ albæ, & nigræ quales ſecundum phyſicos. 182 a
Maculæ ſplendentes quæ & quales ex Vega. 182 a
Maculæ profundæ, quæ, & cur. ibid.
Macularum manus dextræ, & ſiniſtræ diſcrimina ſecundum chyromantes. 183 a
Maculæ albæ, & nigræ in pollice item radioſæ quid ſignificent. 183 b
Maculæ pollicis ſunt de natura Martis, & Veneris. 183 c
Maculæ pro diuerſitate colorum, & locorum in quibus apparent diuerſos animi mores, & inclinationes docent. 184 a
Maculæ liuidæ radioſæ quid in dextro, vel ſiniſtro pollicæ repertæ quid notent. 184 b
Maculæ Indicis quid importent, Ioui aſſignatæ. 184 c
Maculæ ſolares, quæ ſint. & quid ſignificent. ibid.
Maculæ prædictio qualis ſit. 185 a
Maculæ mixtarum ſignificationes. 187 c
Maculæ cruentæ quid ſibi velint. ibid.
Maculæ digiti annularis, quæ optimæ, & quid indicant. 189 b
Maculæ mixtæ, & pallidæ qui notent. 190 a
Maculæ vnguium nihil certi ſi purificant, & cur. 192 a
Maculæ vnguium non ſunt futurorum cauſæ, neque ſigna. 198 b
Maculæ albæ quid phyſicè ſignificent. 194 a
Macularum Martialium, & ſolarium ſignificata. 195 a
Manus dextra proſperitates ſiniſtra indicat infortunia. ibid.

Mem

Membri alicuius propria operatio qualis ſit, & quomodo cognoſcatur. pag. 190 c
Membri, & compoſiti ſi cognoſcatur temperies, animi operatio etiam cognoſcendi ſimiliter componentium natura. 149 a
Melancholici terræ, & ferro ſimiles, & duros habent vngues. 162 c
Melancholici frigidi, & duros Vngues habentes non curant ſcientias. pag. 163 b
Membra propriarum animalis operationum inſtrumenta. 163 c
Melancholicorum diuerſis, eſſe affectus. 167 a
Mundum ex tribus conſtare, vno quod ſemper ſtat, altero quod ſemper mouet, tertio quod quandoque. 204 a

N

NAturam naturaliaque opera, & intellectus poſſe impediri. 197 e
A Natura ſecundum naturã, & præter naturã differunt. 198 b
Naturalem propenſionem fere omnia naturalia ſequuntur, & ſecundum illam operantur. 160 b

P

PRopoſitio contingens vniuerſalis ſemper falſa. 199 c
Probabilis ratio quod omnia ſint neceſſaria, & ex neceſſitate ſiant. 202 b
Prædictio rationabilis, vel naturalis, Vel eſt politica. 193 b
Prædicata de Vnguibus, ſunt quam plura. 196 b
Phyſica interrogatio ſiue naturalis quæ ſit. 145 b
Phyſic s, & chyromantes medio, & fine differunt. 149 a
Phyſicus naturam Vnguium conſiderat. 149 a
Phyſicus x Vnguis definitione, eius principia inquirit, & paſſiones demonſtrat. 149 b
Paſſa à calore ſicco pleraque rubeſcunt. 152 b
Phyſicus, & chyromantes in quo differant. 159 b
Planetis quibus ſinguli digitis & vngues ſint dicati. 188 a
Planetæ diuerſi faciunt diuerſa in digitis ſtigmata. 188 b

S

STellæ non ſignant vngues, nec cogunt hæc inferiora facere quidquam vltra naturam ſuam neceſſario. 203 c

T

TEndines quid ſint ex quibus, & à quibus ſiant. 146 b

V

VEritatis vbique apparet immago. 161 b
Vnguis vox multiplex quæ ſit de quo agitur, & quid ſit Vnguis. 146 a

Vngues non contemnendi etiam teſtimonio Hippocratis. 145 c
Vngues cuius gratia ſint. 146 c
Vngues manuum non pedum conſiderantur. 147 a
Vnguium differentiæ quot. ibid.
Vnguium differentias qui ſenſus cognoſcant. 147 b
Vnguium alio modo à Phyſico, alio à chyromante conſiderantur. ibid.
Vnguium cur colores alij albi, alij roſei, quidam ſub nigri appareant. pag. 150 a
Vng. & vnguium puncta, naturam humorum indicant. 151 a
Vng. diſcrimina cauſant humores qui prædominantur in temperie partis. 151 b
Vngues in mortuis creſcunt, quomodo. 154 b
Vngues, & capilli magis creſcunt viuentibus in agris quam in vrbibus; & cur. 15[illegible] c
Vng. differentiæ à digitis. 158 c
Vng. aſperi, & gibboſi cauſæ. 158 a
Vng. acuti, & obtuſi quid indicet. 157 c
Vngues obſcuri quid ſibi velint. 157 b
Vngues magni, parui vnde oriantur. 156 b
Vnguium figuræ valdè variæ, & cur. 155 a
Vnguis nodoſi cauſæ. 155 c
Vnguium poteſtas quænam ſit, & quantitas. 156 a
Vng. qualitates, vt mollities, & durities; magnitudo, & ſplendor non ſufficiunt ad indicandum totius corporis temperiem. 163 c
Vnguium differentiæ animi propenſiones aliqualiter indicant. 161 a
Vngues manus dextræ viris, ſiniſtræ fœminis dicantur. 188 a
Vnguium raritas, & denſitas quid Phyſicè notent. 167 a
Vngues aſperæ, & læues, qui ſint, & quid indicent. 167 c
Vngues magni quid ſignificent. 169 c
Vngues parui pueriles molles, quid. 170 a
Vnguis plus iuſto maior, vel minor nihil portendit boni. 170 b
Vnguis inter magnum, & paruum medius eſt laudabilis. 170 c
Vngues in longum, & latum protenſi, & omni quaque mediocritatem excedentes quid ſignificent. 171 a
Vngues magni ſquammoſi ſunt aſinini. ibid.
Vngues albi puri eburnei quid monſtrent. 172 a
Vngues pallidi, ſubalbidi quid doceant. 172 b
Vngues eburnei colore, & naturam cerebri notant. ibid.
Vnguis pallidus, & digitus frigidus malus. ibid.
Vnguis fuſcus, liuidus niger quid ſibi velit. 173 a

Vnguis cum ſplendore fuſcus, quid de hoc chyromanta. 173 c
Vnguium colores in mulieribus, & viris ijdem varia ſignificant. ibid.
Roſeus purus diaphanus quid in viris. 174 a
Paruus rubeus in mulieribus quid notat. 174 c
Vnguium qualitates ſecundum chyromantiam. ibid.
Vnguis color roſeus quomodo à purpureo diſtinguatur. ibid.
Vngues qui re curui, qui plani ſint, & quid notent. 176 c
Vngues plani in fœminis, & præcipuè naſum ſimum habentibus quid indicent. 177 b
Vnguium nodi quid in viris, & quid in fœminis docent. 178 b
Vngues ex Hippocrate venarum, arteriarum, & neruorum extremitates coniungunt. 181 c
Vngues plani obſcuri quid ſecundum chyromantum ſignificant. 180 c
Vnguium canaliculi, & coſtæ qui importent. 179 a
Vngues orbiculares, vel quadrati quid notent. 179 b
Vngues inæquales gibboſi concaui. 179 c
Veri plures ſpecies. 197 b

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAMILLI BALDI BONONIENSIS

Philoſophi, & Medici Collegiati, & Publici Profeſsoris Emeriti.

De ratione cognoſcendi mores, & qualitates ſcribentis ex ipſius Epiſtola miſsiua,

Nunc primum in latinum ſermonem prodiens.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

BONONIÆ,
Typis Hæredum Euangeliſtæ de Duccijs. M.DC.LXIV.
Superiorum permiſſu.

TRACTATVS

De ſignis ex Epiſtolis.

Proemium.

Rerum, quas homines ignorant equidem, antequam appareat ratio, illæ mirabiles exiſtimantur; at poſtquam ratione notæ fuerint, vt plurimum negliguntur, ſi fortè ex ijs parum, aut nihil vtilitatis capiatur. Aliæ autem exſibilantur, cùm enim homines ſemetipſos perament, in cæteris rarò, aut nunquam inueniri poſſe aliquid pulchri, aut laudabilis, quod pariter ipſis non inſit, autumant. Quocirca quiſquis audiet ex lectione priuatæ alicuius Epiſtolæ poſſibile eſſe ſcriptoris cognitiones, mores, diſpoſitioneſquè dignoſcere, aut ridebit, aut (ſi minus ſibi arroget) id magno opere admirabitur. Sed ex aduerſo conſideranti rectè omnem operationem ab aliquo promoueri principio, ideoque illi conformem eſſe, apparebit poſſibile, iuxta antiquam paroemiam, noſcere ex vngue Leonem. Omnis operatio ex forma quapiam exoritur, & dependet, & omnis forma determinata exigit materiam: & idcirco quale eſt opus, talis erit etiam forma, vnde exoritur, & materia cui ineſt; propterea rationi conſonum eſt loqui, & ſcribere, duas vni homini proprias actiones, multam eius eſſentiæ exhibere notitiam, nec non earum proprietatum quæ illam comitantur: neque id abhorret ab opinione ſummi omnium Philoſophi, qui ſcriptas literas ait imagines eſſe verborum; haud ſecus ac ipſa verba conceptus mentis exprimant; & ſi mens eſt hominis forma, & qualis forma, tale eſt compoſitum ex ipſa, & materia reſultans, probabile erit concludere, quod ex alienis ſcriptionibus facile ſit multas qualitates, mores, ac diſpoſitiones, tam animi, quã corporis ſcriptoris dignoſcere. Et quod hoc ſit poſſibile me demonſtraturum ſpero non modo ex principum Philoſophorum auctoritatibus, verùm etiam ratione, & exemplo, deſcendendo quoque ad talia particularia,

vt aliquis potis futurus ſit (neglecta admiratione) exiguo labore ad ſtruendam ſibi viam ad regulas nonnullas, quibus artificiosè ex aliena diuerſitate ſcribendi in aliquam morum, & qualitatum ſcribentis valeat deuenire.

Epiſtolam miſſiuam multam poſſe exhibere cognitionem morum, & qualitatum ſcriptoris. Cap. I.

TAmetſi ex dictis manifeſtum eſſe poſsit, quod ex lectura vnius dumtaxat Epiſtolæ miſſiuæ valeat homo iudicio prælitus dignoſcere multas auctoris qualitates, præter conceptus in ea expreſſos; attamen quod hoc ſit verum teſtatur Demetrius Phalereus, qui hæc ipſa verba protulit. Epiſtola eſt maximè morata; quicumque enim literas ſcribit in ipſis imaginem animi ſui imprimit; & licet omnis oratio, & omnis ſcriptio mores loquentis, atque ſcribendis oſtendat, attamen melius hæc præſtat miſſiua Epiſtola. Et Dionyſius Halicarnaſſeus loquens de Lyſia claro oratore, dicebat, non modò compoſitionem verborum teſtari de aliorum cogitationibus, verùm etiam de moribus, & non ſolum ſententias dicenti animum exprimere, ſed nihil eſſe, quod id manifeſtius efficiat ac Epiſtola, quam de proprijs peculiaribus rebus alter alteri ſcribit.

Menander antiquus Poëta in hac facit ſententiæ, bonitatem vel malitiam hominum in eorum verbis ſplendeſcere velut in ſpeculo, dicens in hominis facie, & in eiuſdem oratione mores quoque introſpici. Socrates quoque aiebat, Loquere, vt te videam; & Diuina Scriptura nos docet quod noſtra loquutio nos manifeſtat. Præterea adeſt ratio idinnuens ex Ariſtotele, qui dicebat, quod ſicuti oratio ſignificat animi conceptus, ita ſcriptio oſtendit, & orationem, & conceptum. Scribit quoque Demetrius, Epiſtolam miſſiuam talem non futuram eſſe, niſi in ipſa appareret ingenium, moreſque ſcribentis, omnis enim effectus eſt imago ſuæ cauſæ; quocirca ſi actiones ſunt morum, & habituum cuiuſcumque ſignificatrices, hæc autem exprimuntur in oratione, & oratio poteſt ſcriptione manifeſtari, poterimus ex ſcriptione dignoſcere ſcriptoris qualitates. Et ideò Victorius ait, legentem Epiſtolam vno, & eodem tempore, ſi acuta polleat viſione, videre in ipſo pectore ſcriptoris cor manifeſtum.

Qualis

Qualiſnam debeat eſſe ſcriptio, ex qua naturam, & mores ſcriptoris liceat coniectari. *Cap. II.*

NOn omnis ſcriptio valet ſcriptoris mores manifeſtare: non verſus, nam eius numerus ſcriptorem cogit conſuetum, naturalem, & ordinarium loquendi modum numero tranſgredi; quapropter nonnulli antiquorum voluerunt ſolutam Poëtæ orationem eſſe parum à ſcribente diſſimilem, inæqualem, inflatam, epithetis, & figuris parum conuenientibus refertam, vt apparet in dialogis, & ſermonibus quorundam recentiorum.

Sed nec quidem omnis ſoluta oratio mores aperit, nam ſi ea de ſcientijs pertractet, nihil aliud oſtendet nobis, niſi quantum ſcriptor in ea verſatus ſit, & quantum valeat in propria mente explicanda. Si hiſtoriam narrabit, aut aliquid, quod modò acciderit, poterit nobis ob oculos ponere qualis ſit ipſe narrator. Similiter ſcribens orationes, oſtendet ſe aut carere, aut abundare eloquentia. Sed numquam ita manifeſtè mores eius aſſequemur quemadmodum in miſsiua epiſtola. Dialogus quidem, & Comœdia, ſi modò ſeruatis præceptis conſcripta ſint, oſtendunt quidem morem, ſed non ſcribentis, at introducti; quapropter inde ſequitur ſolam miſſiuam epiſtolam veram imaginem morum, qualitatumq; ſcribentis præſeferre. Et tametſi omnes aliæ ſcriptiones conceptus ſcriptoris repræſentent, collatę tamen ipſi epiſtolæ miſſiuæ, ſunt tamquam ſpeculum concauum, aut conuexum, quorum alterum maius efficit obiectum, alterum minus propria exiſtentia.

Epiſtola igitur, quæ hoc nomine digna ſit, & vnde id, quod quærimus eluceat, has debet habere conditiones, quarum aliæ ex ſtylo, aliæ ex conceptu, & ex re de qua agitur pendent.

Stylus epiſtolæ tenuis eſſe debet, & iuxta Artemonem, qui epiſtolas Ariſtotelis tranſcripſit, parum debet differre à ſtylo dialogi, quia epiſtola eſt eius pars. Stylus tenuis hæc habet propria, vt ſit clarus, facilis, æqualis, & euidens: verbis vtitur vſitatis, periodos habet breues, & abſque multa elaboratione concinnatos; Epitheta non neceſſaria, verba compoſita, & obſcuritatem, quæ ex aliena nominum ſignificatione oritur, declinat. Debet in ipſa apparere inconſiderata quædam conſideratio, atque talis ars, quæ pro viribus lateat, & naturam imitetur.

tetur. Demonſtrationes, & argumenta non facit, non diſputat, obiectionibus præcisè non reſpondet, ſed tantumodo vix attingit. Eſt igitur hic modus dicendi, quo ſimpliciter vtimur, breuis, & vt dictum eſt ſine artificio; amici enim non eſſet artificiosè procedere. Talis ergo erit epiſtolarum ſtylus. Iſte character dicendi, præter iam dicta, habet verba propria, cauet eorundem innouationem, translatis non vtitur, neque figuris, verba ponit iuxta ordinem naturalem, longiſſimùm abeſt à locutione poëtæ, & comœdi, vtitur epanalepſi, id eſt replicatione eorundem verborum, ſed ita, vt per incuriam, aut per vim neceſſitatis id ſequi videatur. Huius habemus exemplum apud Ciceronem in oratione pro Archia, vbi euitat magnum vocalium concurſum, & præſertim ne periodum finiat per monoſyllabam, aut oxytonam vocem; cauet pro poſſe ab obliquis caſibus; nec Petrarcham imitabitur in nonnullis, vulgo *Sonetti,* qui à genitiuo, vel ab acuſatiuo incipiunt; fugit circumſcriptiones, & allegorias, ac multò magis ænigmata; multa lectori, qui ea à ſemetipſo intelligat, relinquit, & ſibi ita fidem parit apud eum, etenim diligenter omnia explicare, eum minimi in iudicio facere eſſet indicium. Talis igitur ſtylus ſit oportet, ac verba in epiſtolis familiaribus, & in his, quæ hoc pacto ſunt poterit quiſque emunctæ naris cernere ſcriptoris qualitates. Sed ſi velimus opinionem Ariſtotelis, iuxta Demetrium ſequi; non poterimus dicere quod omnia, quæ humano conceptui accidere poſsūt indiſtinctè ſint ſubiectum in epiſtola explicandam, cùm ipſe illam definiat, eſſe ſcriptionem, vbi agitur de rebus ad actiuam vitam pertinentibus, cum breui morum expreſſione ſimplicibus verbis facta: vnde apparet ipſum à Cicerone differre, qui epiſtolam vocat inſtrumentum ad declarandum negotium aliquod abſentibus, aut aliquid aliud, quod cupiamus ab abſente ſciri. Et ideò, iuxta Ariſtotelem, coarctatur epiſtolæ ſubiectum ad ciuilia negotia, ſiue priuata neque ſi aliquid aliud pertractet; poteſt (ſecundum ipſum) niſi impropriè epiſtola vocari. Et addit Demetrius leporem epiſtolæ in explicando negotio, de quo agitur, & eo exprimendo ſuauibus, & conuenientibus modis, conceptibus, & formis naturæ ſubiecti conformibus, & eo dignis, cui epiſtola dirigitur: nec opus habet ſcientificis demonſtrationibus, nec ſententijs, ſed ſufficit tantum ſi aliquando, & ſobriè locum det alicui vulgari, ac triuiali parœmiæ; & ſi modò materia nos cogit,

vt

vt vtamur rationibus ad ſuadendum, ſumatur imitandus Ariſtotelas ipſe, qui inducere volens magnatem quendam ad fauendum ſuo cuidam amico, ait Deos non minus tueri parua oppida quam magnas ciuitates; & huic conſonat, quod dicit Seneca, ſcribentem ſibimet ſuperiori cauere debere à ſententijs, probationibus, & ſyllogiſmis; & vti obſecrationibus, & affectibus; Adducenda exempla ſuo tempore. Et ſapienter admonet alius, homini fugiendum eſſe, ne epiſtola ſiniſtram occupet manum, hoc eſt (ni fallor) ne adeò prolixa ſit vt lectorem cogat vertere paginam, & ita manu apprehendere ſiniſtra. Et quando miſſiua epiſtola omnia hæc ſuperius dicta obſeruat, valdè difficiliùs eſt ex ea conijcere ſcriptorem, qua vafrum, & artificioſum, ſe oſtendit, ſed quando ſine arte, eruditione, aut conſideratione vlla ſcribit, natura tantum dictante, tunc multa de ſcriptore poterunt probabiliter afferi. Partes epiſtolæ, in quibus ſunt mores, quos dignoſcere quærimus, ſunt exordium, ita dictum, narratio, confirmatiò, & elementorum conformatio, ſeu character. Exordium illa eſt pars, quæ animum preparat Lectoris ad id quod ſcribitur intelligendum, & rationem exprimit, qua ad hoc mouetur. Narratio explicat, quod ei opus eſt; Confirmatio conatur ſuadere iuxta ſcribentis voluntatem; Character denique modum, & ſtylum, quo vtitur ſcriptor in conficienda epiſtola. Huius characteris dicunt aliqui eſſe partes elementa quæ verba componunt, diſtinctiones, puncta, parentheſes, ordinem, & ſitum elementorum, & eorumdem conformationem. Alij addunt verba ſtylum reſpicientia, & conſiderandum eſſe ſecundum formam ſintne Itala necne; iuxta terminationem, ſi rectè deſinunt, an barbarè, inde conſiderant orthographiam, num verba ſint propria, an tranſlata, & num phraſes, atque periodi, in quibus conſiſtit ſtylus ſint figuratæ necne: Hæc igitur, iuxta auctores, qui de hoc tractauerunt, ſunt partes, quæ in epiſtola continentur; & quia in varijs ſcriptionum generibus varius apparet mos, ſciendum eſt (ad mentem nonnullorum) epiſtolas eſſe duplices, ſcilicet propoſitiones, ac reſponſiones, & vt ſint, aut familiares, & iocoſæ, aut ſeueræ, & grandium rerum pertractantes. Præterea graues in vniuerſum, aut narrant, aut flagitant, aut commendant; aut conſulunt, & monent cui diriguntur, aut conſolantur, aut dolent, aut demum alia negotia vitæ pertractant, iuxta quæ quotidie accidunt, & licet quodlibet horum generum habeat differentias;

qui-

quibus mediantibus ab inuicem diſtinguuntur, attamen in qualibet etiam apparent quædam diuerſitates, ex quibus dignoſcitur quantum differant conditio, gradus, & mores vnius hominis ab alterius; ſuperbus enim, & modeſtus vterque vniuerſaliter eandem commendabunt perſonam, & tamen alijs mores, & aliæ qualitates apparebunt in ſuperbi commendatione, & aliæ in modeſti.

Quænam corporis, animique proprietates dignoſci queant, in Epiſtola perlegenda. Cap. III.

QVoniam homo conſtat ex animo, & corpore, & humanæ actiones ab homine procedunt, oportet quoque, vt in ipſis appareant nonnulla veſtigia animi, & corporis: & cum locutio, & ſcriptio ſint eius operationes principes, æquum eſt ipſas demonſtrare veſtigia qualitatum corporis, & animi mores. Sed non ideò debet quis decipi, vt credat in vna tantum epiſtola poſſe tamquam in *ſpeculo* cerni omnis proprietas, & cogitatio ſcriptoris; nam alia abſcondit ars, alia non habent apparendi occaſionem: dicam quidem aliquid horum in aliquibus literis, & ſermonibus, omnia verò in omnibus ſeſe oſtendere: & aio licere ex lectione vnius epiſtolæ ſolius colligere alias qualitates, quæ immediatè in ipſis micant, & alias, quæ conſequenter, & probabiliter inde veniunt, vt e. g. ſi in legenda epiſtola obſeruetur aliquem arroganter loqui, poſſibile eſt, vt ſit iuuenis, & proinde parum verſatus in agibilibus. Et ſi videro talem neſcire, ac malè exprimere conceptus ſuos, eum ignarum exiſtimabo, & qui nullam dederit operam literis, ſitque vanus homo, & vltra vires præſumens. Iterando igitur à principio quod dictum eſt, ſciendum qualitates, quæ ab aliena epiſtola erui poſſunt quadrifariam diuidi. Externæ, ideſt externa denotantes, ſicuti notum, vel ignotum eſſe; amicum, aut inimicum; pauperem vel locupletem; nobilem, ſeu ignobilem; ſuperiorem, ſiue inferiorem; liberum, aut ſeruum; otioſum, an occupatum; honeſtum hominem, an infamem, & tandem cognoſcitur hominis exiſtimatio patria, nobilitas, profeſſio, ſocietas, & modus viuendi, quo vtitur; Et præſertim cernitur diſpoſitio, in qua tunc temporis verſabatur ſcriptor. Pariter multæ qualitates corporis, niſi aliter, ſaltem in con-

in conſequentia, cognoſcuntur in cernendis alienis charac̄teribus veluti velocitas, & tarditas, inertia, & ineptitudo: corporis magnitudo, vel paruitas, ſanitas, ſenectus, ætas, & his contraria. Maſnè, an fœmina; cultus, aut delicatus; amabilis, viuax, lepidus, vel his oppoſita, & multæ aliæ diſpoſitiones, quę a iudicio, & ingenio pollenti viro inueniri queunt, cum naturale homini ſit procedere à notis, & manifeſtis ad ignota, & obſcura; ſed eo facilius oſtendunt epiſtolæ, qualiſnam ſcribentis ſit intellectus, & num ipſe ſit vir cautus, iudicio prаditus, in literis verſatus, prudens, deuotus, ingenioſus, acutus, habili, promptus in omnes partes, & cautus; inſuper quidnam profiteatur; ſerionè, an ioco loquatur, certuſnè, an dubius, & qui omnia admiretur, affirmans, & negans ſine animaduerſione, & indiſtinctè, tam quæ velit agere, quam quæ nolit. indiſcretus, vanus, blatero, irreſolutus, bilinguis, bifrons, cenſor, criticus, adunco ſuſpendens omnia naſo, negligens, confidens, mordax, indignus propria fortuna, induſtrius, incredulus, honeſti deſpector, æmulator, rerum ſuarum amplificator, dictorum alienorum aſſertor, benignus, vrbanus, callidus, in arte verſatus, belluinus, mendax, ſimulator, doloſus, inſtabilis, inutilis, eloquens, facetus, fabularum artifex, innocens, ingenuus, moroſus in loquendo, iniuſtus, conſilij inops, ironicè loquens, ampulloſus, facilis perſuaſu, ſpeculator, alienis dictis teſtator, ſuſpicioſus, nugiuendulus, qui ſapientiam ſuam oſtentet libentiùs reprehenſor, difficilis voluntate, iracundus, curioſus, interrogator, licentioſus, &c. Neque iſta tantummodò verùm etiam multa alia præter cōtraria iam dictis qualitatibus, & multo magis ſunt illæ proprietates, quæ appetitum ſequuntur, hoc eſt illud quod eſt verum ſubiectum morum, & habituum, vnde oriuntur actiones. Ideoque eò facilius cernitur in epiſtolis natura morum, quam qualitates corporis, aut externæ. Quapropter apparebunt in illis inſculpta gaudium, ſeueritas, indignatio, arrogantia, temeritas, auſus, petulantia, crudelitas, ambitio: vno verbo affectus, odij, amoris, iræ, ſpei, timoris, manſuetudinis, gratiæ, miſericordiæ, inuidiæ, indignationis, & huiuſmodi. Et hac eadem de cauſa etiam cognoſcitur an homo ſit actiuus, mordax, contentioſus, iactator, vilis: ſi moribus, aut ruſticis, & rigidis, ſi frigidus, homo nihili, auarus, aut ſecùs; ſi impatiens, intemperatus, contemptor, curioſus, pertinax, aut è contrario diſpoſitus ſit. Præterea licet cognoſce-

re ſi ſit homo contemptibilis, ſi doleat, aut lætetur, ob aliena mala, ſi ſit inflatus, furioſus, generoſus, verboſus, querulus, ſui excuſator, iocator, rixoſus, importunus, intolerabilis, terribilis, tyrannicus, violentus: vtrum homo fauorem eius poſſit ſibi polliceri, ſi ipſe libenter alijs ſit officioſus, atque beneficus, ſi ſit factioſus, faſtidioſus, litigioſus, exſibilator, maleuolus, balatro, commoditatum, & voluptatum amator, ſolitarius, ſuperſtitioſus, ſubſannator, aut vir placidus, comis; an adulator, infidus, & alias multas qualitates, quæ ſequuntur naturales inclinationes, & habitus adquiſitos.

Diſpoſitionum prædictarum alias per ſe in Epiſtolis apparere, alias vero conſequenter. Cap. IV.

NOn omnes vt dictum eſt qualitates, & proprietates, quæ omni inſunt diſtinctè cernuntur in prima ſcriptione ab eo facta; ſed aliæ ex ſe omnibus apparent, aliæ verò ſubtili indagine per diſcurſum inueniuntur. Manifeſtè apparent in Epiſtola ſpes, timor, amor, odium, indignatio, lætitia, & dolor, cæteraque id genus, vt arrogantia, & modeſtia; & ex ijs quæ ad intellectum pertinent cernuntur in lectione cuiuſdam ſcriptionis vtrũ ille ſit literis prædituſ, ſi iudicio, & praxi polleat eorum quæ pertractat: aut ijſdem careat referendo per verba, & ſcripta res iuxta conceptum de ijſdem in cerebro ſuo formatum quippequi conceperit eas non iuxta earum eſſentiam, ſed iuxta naturam ſui intellectus (& hæc eſt cauſa cur eadem res à duobus viſa, & ſcita ita diuerſimodè à quolibet eorum referatur) præterea ſi iocatur, an ſerio dicit, & ſi dubius ſit an firmus in cogitationibus ſuis. Sed quia nonnulli ex iſtis moribus naturaliter oſtenduntur, nonnulli autem artificioſè occultantur; & quidem inconſideratorum patent, eorum autem qui artificioſè latent non poſſunt ex vna tantum epiſtola cognoſci; quemadmodum etiam nec quidem ex vnica tantum collocutione cum quolibet poſſunt eius mores conijci, ſed quando ſcripta eſt epiſtola ſine fuco, ac fallacijs tunc dicam ex moribus expreſſis, & patentibus nos poſſe manuduci in cognitionem eorum, qui nos latent. Nam ſi ſcriptor tales oſtendit mores, manifeſtum eſt ipſum poſſe habere talem habitum, & iſte præſupponit potentiam, quæ oritur ex tali temperamento; & particulare tem-

peramentum, particulares producit inclinationes, ſupra quas ex ordinario hominum mores fundantur. Vt e. g. legenti epiſtolam Bruti ad Atticum circa negotium Ciceronis cum Octauiano, qui etiam Brutum huic commendauerat, apparet Brutus læſus in illa ſcriptione propter indignum facinus, nempè quod ſuus neceſſarius velit intercedere pro ſe apud inimicum, quo ipſe ſe meliorem exiſtimat, quaſi ab ipſo commoditates, & ſalutem expectans. Ergò talis cum ſit, eſt etiam magnanimus, ideoque deliberatus, minimiloquus, ſibi confidens, audax, à ſuperſtitionibus abhorrens; & proinde probabile eſt ipſum eſſe melancholicum, minimi ſomni, & proinde macium, pallidum, pilis nigris, terram reſpicientem. Quapropter ex illa ſola epiſtola argui poteſt Brutum his omnibus qualitatibus prædi. tum fuiſſe, prout aſſerunt hiſtorici re vera accidiſſe.

Itaque ſicuti Canis, Felis, Lupus, cum fame tentantur, aut alio quopiam naturali affectu, omnes voce ſuarum paſſionum ſigna edunt, ſed diuerſo modo, ille vt Lupus vlulans, hic vt Canis latrans; ita ſcribens ſuperbus, indignatus, vilis, & quietus de eadem res manifeſtum eſt eos ipſam vario modo tractaturos: & ſicut ex voce cognoſcitur hunc eſſe Canem, illum verò Lupum, ita mores iſtorum, & illorum in modo pertractandi eandem materiam manifeſtè oſtenduntur.

Quibuſnam inſtrumentis, ac medijs cognoſcantur animi, corporiſque qualitates. Cap. V.

Dictum eſt ex lectione epiſtolę familiaris poſſe dignoſci multas qualitates ſcriptoris, atque earundem multæ enumeratæ ſunt. Modò quia oportet, vt intellectus noſter in cognitionem dictarum rerum, & diſpoſitionum aliquo medio veniat, neceſſe eſt vt dicatur quæ nam ſint inſtrumenta quibus manuducimur ad iudicanda prædicta; quæ quidem inſtrumenta quinque ſunt, Character, Verba, Phraſes, Stylus, & Cōceptus. Characterem dico figuram, & formationem literarum, quæ elementa dicuntur, calamo ſuper paginam. Hic conſtat tribus particulis, figura, ſcilicet, orthographia, & interpunctione. Vox aut verbum illud eſt, quod à Latinis dicitur dictio, & eſt particula rationis indiuiſibilis, partes enim eius nihil ſignificant. In dictione duo conſiderantur, corpus, & terminatio,

vt *barraggio*, prò *baurò*, & *faraggio* pro *farò*, quibus vſus eſt Hentius Rex in quadam ſua Cantione; & iſte voces vocantur corpore, aut ſecundum corpus differentes. Terminatione vero, differunt *fia*, & *ſipa*, vt dixit Dantes, *baurè* pro *baurete*, quo vſus eſt Boccaccius. Phraſim, ſeu locutionem appello compoſitionem dictionum inſimul, quæ periodum, & eius membra perficiunt. Trifariam hæc diuiditur, in propriam, translatam, & figuratam, mixtamq; ex omnibus his. Stylus, vel dicendi modus eſt orationis ſtructura, vel eius forma. Quatuor ſunt eius ſpecies, iuxta Demetrium, ſimplices appellatæ, tenuis ſcilicet, grauis, ornata, & magnifica, quæ nunquam cum tenui coniungitur. Porrò licet ſimpliciter neque ornatus ſtylus, neque magnificus ſint partes epiſtolæ, neque modi eiuſdem proprij, verum quia modò magis, modo minus his ſcriptor accedit, inde accidit, vt ſtylus nomen accipiat à proximio i. Conceptum dico argumentum, & res, de quo agitur, quæ ſub ſe tot ſpecies continet, quot ſunt actiones, & negotia, quæ in ciuili vita pertractantur.

Quænam ſint ſignificationes quæ ex figura Characteris conijci poſſint. Cap. VI.

MAnifeſtum eſt diuerſos homines diuerſimodè ſcribere, & quemcumque in ſuo charactere quandam ſeruare qualitatem, propter quam illius ſcriptio differt à cæteris, quotieſcumque ſcriptor non ſtudeat, vt ſit in occulto. Si itaque character erit piger, & formatus quadam calami preſſura, probabile ſignum eſt hominem habere manum duram, grauem, & pigram; ideoque rationi conſonum eſt non eſſe ingenio valde perſpicaci, & proindè in ipſo apparere iudicium minimè exactum; eaque propter quod loquatur, & promittat multa, ſed pro iiſ ſis non ſtet, ſitque voluptati deditus, bibax alijſq; qualitatibus præditus, quæ duritiem carnis comitantur, eiuſque ſoliditatem: & quia tale temperamentum accedit ſanguineo, & melancholico, & melancholia terram repræſentat, ceu ſanguis aërem, a melancholia pigrities procedit, & à ſanguine blateratio & promiſſio eorum, quæ compleri nequeunt. Et ſi characteres formati ſunt multa cum inertia, & inter ſe inæquales, & lineæ obliquæ, vt plurimum ſurſum tendent. Id cum acciderit

ſcri-

ſcriptor eſt qui dudum habitum contraxit taliter ſcribendi, & propterea ſignum hoc eſt naturales inclinationes ſcriptorem ſuperare eumque pro libito regere. Addi poterit inſtabilitati ſcriptoris ipſum eſſe iracundum, ac prodigum, vt ſuas aſſequatur cogitationes, & quia plerumque ita ſcribunt adoleſcentuli, qui à pauco tempore ſcribere didicerunt, pronuntiare poterimus eos, qui hoc pacto ſcribunt valde in moribus adoleſcere, & talem characteris inæqualitatem ortam eſſe ab inæquali motu manus; & cum ea ſit inſtrumentum obediens animæ, ipſam quoque referre quænam ſit naturalis illius inclinatio, ſi modo habitus, & diſciplina eam non immutent. Quapropter talem videntes ſcriptionem, ſcienteſque id non oriri ex eo quod ſcriptor pauloante ſcribere cæperit, poterimus quæ dicta ſunt arguere. Sed ſi character velox erit, atque elementa inæqualia, & alia craſſa, alia tenuia, appareatq; id nequaquam eſſe calami defectu, ſed habitus ſcriptoris, probabiliter concludi poterit ipſum in cæteris actionibus etiam inęqualem eſſe; atque in diſtinctionibus etiam hæc ipſa patebit inæqualitas, quæ in ſcriptione videtur. Et quia quicumque talis eſt plus iuſto iracundus eſſe ſolet, quandoque etiam plus pacificus, ac mitis, quam fortè par eſſet, credibile erit hunc eſſe ambitioſum, importunum, & litigioſum, quod prouenit ex illa inæquali ad motum promptitudine, cum omnis affectus cauſæ eſſentiam, & qualitatem ſequatur. At ſi motus manus inæqualis eſt, materia etiam ipſius talis erit, humoreſque, qui eius temperamentum conſtituunt, nullo modo ſeruare illam proportionem cernentur, quam perfectum hominis temperamentum exigit. Alia ex parte, qui charactere vtitur veloci, æquali, benè formato, & ita vt appareat ſcriptione oblectari, vt plurimum homo eſt nullius ſcientiæ, & exiſtimationis, rari enim ſunt elegantes ſcriptores, qui iudicio, & prudentia polleant; quia quodammodo ſimiles ſunt pictoribus, qui quo magis arte valent, ita minus prudentia; & ſacrificantes reti ſuo magis quam deceret, in illa ſua arte, aut cognitione inflantur, putantque omnes homines teneri ipſos magnificare.

Hi ipſi ſæpè ſunt frigidi, aut auari, aut prodigentes, aut intemperati, & vt plurimum iuuenes ſunt, pauci enim reperiuntur, qui cum peruenerint ad annum quinquageſimum characterem corſiuum, aut cancellareſcum, vt vocant, ſcitè efforment: & quia talis eſt eorum diſpoſitio, ſunt etiam non valde diuites,

ſed

ſed alacres, & ſani: & iſte character velox virilis eſt, & rarò cadit in mulieres. Ex aduerſo ſi turpis erit obliquus, ſed intelligibilis, velox (talis tamen habitu) denotat hominem, qui multa ſcripſerit, & proinde non iuuenis. Et quia calligraphiæ, vti etiam pulchrè canendi, & citò, & benè, cauſa eſt virtus imaginatrix, ex his dignoſcitur quomodo ſe habeat. Sed quia qui benè imaginatur plerumque non benè intelligit, ſequitur benè ſcribentem minus valere mente, & ingenio, quam male ſcribentem. Et ſi character valdè paruus eſt, aut ſcriptor ſenex eſt, aut benè videt, aut eſt homo nihili, ſi modo habitus caſu incæptus non ita illum formaſſet, quod apparet ex characteris ſubtilitate: Et iſtas proprietates ſequentur mores conſoni vt apud Rethores de ſenum moribus, quorum character quandoque valde procidat, aut breuis, aut tardus, aut craſſus, huius contrarium rationabiliter oritur ex contrarijs cauſis. At ſi longitudini reperitur coniuncta ſubtilis tarditas, talis character oſtendit hominem iuuenem, delicioſum, mollem turpibuſque vitijs fędatum. Iſti igitur, ſimileſque mores ſunt, qui probabiliter conijci poſſunt in examinandis multa conſideratione alienis characteribus. Animaduertendum tamen eſt quod illi non ſint arte taliter formati, quod apparebit, cum ſemper ijdem erunt: & ſimiliter ne tales effecti ſint vitio ſcriptoriorum inſtrumentorum.

Quid indicet diuerſitas orthographiæ, & interpunctionis. *Cap. VII.*

DE charactere dictum eſt; nunc oportet vt dicamus de orthographia, & interpunctione ſcriptionis. Suppoſito igitur profeſſionem cuiuſcumque, eiuſque rationes conformari cum moribus alienis, iuxta illud commune Exercitia, & ſtudia tandem mores fieri, atque rurſus ſuppoſito, quòd quicumque talem in vno negotio ſe præbet, talis etiam ſe præbere debeat in alijs rebus eiuſdem generis: dicemus, quòd quicumque habitu mala ſcribit orthographia, id eſt geminans literas vbi non ſunt geminandæ, vel è contra, aut vna loco alterius vtentes, quemadmodum Siculi, qui *arma*, & *palora*, loco *alma*, & *parola* ſcribunt: rationabiliter poſſunt iſti haberi inconſiderati, ignorantes, aut negligentes, aut parum exercitati; ignorantia enim, & minima exercitatio efficit, vt homo malè operetur, abſq; quod

ſe

ſe malè operari ſciat; ſed quando oritur ex negligentia, non ſemper cerniitur eadem ſcriptio, eodem modo. Poteſt etiam procedere iſte affectus, aut ex magna confidentia, & ex minima reuerentia, quæ habetur illi, cui ſcribitur, cum detur ei ſignum, ſe nihil curare, vt ſit apud eum in opinione minimæ ſcientiæ, animaduerſionis, & diligentiæ, & ideò tales defectus cernuntur ſæpè, & forſan etiam, ex artificio in epiſtolis, & cartellis, (vt vocant) quæ ſcribuntur hoſtibus, in ſignum quod nullo eos honore proſequimur, ſcribentes tamquam inferioribus. Et humaniſtæ emunctæ naris notarunt Ciceronem in epiſtolis ad Atticum multas linguæ minutias nequaquam obſeruaſſe, propter multam familiaritatem, qua eo vtebatur quapropter licebat ei procedere exigua reuerentia: atque ſi hoc eſt verum, probabile eſt etiam in eodem homine reperiri qualitates, quæ iam dictos mores comitantur, & ſi quis appareat literarum ignarus, ſequitur eum poſſe parum ſcire rethoricæ, & poeticæ; & forte etiam colligi poterit nullam in eo ſcientiam reperiri. At quando mala orthographia fuerit comitata à multis ſignis hiſce contrarijs, non erit neceſſe peccantem in orthographia ignarum; etiam eſſe in philoſophia, & legibus; cum ſcriptum ſit Plotinum maximum Philoſophum, præter peſſimum characterem, quem formabat grauiter peccaſſe, & in orthographia, & in interpunctione. Sequitur igitur, apparente aliquo in hoc negligente; ipſum etiam eſſe ingenio non valdè acuto, & quod ſcriptionem non profiteatur, ſitque dubius, & parum induſtrius; eſt enim naturæ contrarius, quæ tunc accuratè dicitur in animalium generatione operata, cum, & pili, & extremæ particulæ completè perfectæ ſunt. Reliquum eſt, vt aliquid dicamus de colis, commatibus, & punctis, quæ licet ſint parui momenti, ſunt tamen ſimilia veſtigijs ferarum, quæ dant anſam ea noſcentibus ipſas inueniendi, & capiendi, & ideò ſtatim, ac ſcriptura videbitur abſque punctis, & commatibus, credi poterit ſcriptor, aut parum intelligens, aut minimè diligens: & ſi ſit negligens, & minima nil curans (poſito quod ea intelligat) aut eſt magni animi, & exiſtimationis vir, aut homo nihili, iners, & bonam exiſtimationem flocci faciens. Porrò cognoſcitur diſcrimen inter has duas diſpoſitiones ſenſibiliter ex lectione, & intellectione ſententiæ ſcriptæ. Et confirmatur id, quod dicitur Cinctus laxus Cæſaris, quia cæteris ſignum mollitiei habebatur, aſt à Sylla, qui cum bene nouerat, rectum de eo iudicium latum

eſt.

eſt. At contra cum cernetur aliquis multa cura ſuis locis addere commata, & diſtinguere cola, iudicabitur talem eſſe intelligentem, literis præditum, in explicanda propria mente diſcretum, diligentem, & clarum; ipſumque vacare timore, moleſtia, aut alio quouis magno affectu; nam quando animus iſtis paſſionibus occupatur, non poteſt exquiſitè ſcriptioni addere omnia hæc complementa, quamuis aliàs habitu fuiſſet ita comparatiſſimus. Similiter cum commata, & puncta ſuas ſedes non tenebunt, & extra rem poſita erunt, ſcriptione contrarium non teſtante, dici poterit ſcriptor minimis literis eſſe, multis tamen apparere velle, eſſeque confuſum, dubium, & anxium, quod ſi ex ſententia non appareat ipſum talem eſſe affectu, credi poterit talem eſſe natura, ipſique ineſſe qualitates, quæ prædictas comitantur, id eſt hominem eſſe frigidum, minimæ actiuitatis, minimè arrogans, non impudens, & ſimilia. Sed in ferendis hiſce iudicijs ſemper eſt animaduertendum nullam hic ineſſe neceſſitatem: & ſi vlla ars verſatur circa probabile, aut contingens; & ſi vlla poteſt dici coniecturalis, hæc ipſa taliter appellanda eſt, & id accidit quia propoſitiones vniuerſales affirmatiuæ vniuerſaliter ſumptæ, numquam ſunt abſolutè veræ, neque in ſeipſas conuertuntur. Et licet omnes ignari videantur ſcribere ſine orthographia, non ideo ſequitur quemcumque taliter ſcribentem ſtatim eſſe ignarum: quapropter in hac cognitione fit progreſſio a ſignis, & ab accidentibus, quemadmodum etiam in Phyſiognomia, in qua aſſeritur, quoniam omnia animalia robuſta habent extremitates corporis magnas, ideò probabile eſſe Leonem, Elephantem, & omne aliud animal grandibus extremitatibus præditum eſſe robuſtum.

De ſignificationibus quæ ex vocum diuerſitatibus eruuntur. Cap. VIII.

VOces quæ humanos conceptus exprimunt multò magis accedunt ad dandam notitiam illius, qui eis vtitur quam characteres, quia ſunt magis immediatæ perſonæ eius, quam elementa. Et iſtæ voces poſſunt conſiderari & ſecundum corpus, & ſecundum terminum earum: corpus voco coniunctionem ſyllabarum vocem conſtituentium, & ita corpore dicemus differre græ-

re, græcum verbum, quod ſignificat homo ab eo, quo Itali vtuntur. Similiter etiam corpore differt *ebrer*, quod dicunt Galliæ Narbonenſis habitatores à *dimandare* Italico. Varietas corporum dictionum oſtendunt patriæ diuerſitatem, & quia omnis plaga, & omnis regio proprios habet mores, rationabiliter, tales etiam ineſſe ſcriptori pronunciabimus; & oportet credere impoſſibile eſſe temporis tractu quendam non manifeſtare ſe natum, atque educatum in patria, licèt diuerſis vtatur, & lingua, & vocibus: ita adeptus ſermo cognitus fuit in Theophraſto ab Athenienſi vetula, licèt ipſe educatus fuiſſet Athenis per viginti ferè annos; tanti refert mos, qui cum lacte bibitur, atque adeò non poteſt qui ſcribit, aut loquitur totaliter deliteſcere, ita vt ſubtiliter obſeruanti minimè pateat.

Habent particulares regiones, particulares homines viſu, moribus, motu, ſtatura, & verbis differentes; & ne exeamus ex Italia, videbimus, quod multi loquuntur labijs, & linguæ extremitate dentibus innixa, vt Ianuenſes, alij gutture, vt Florentini, alij ſunt in locutione tardi, & habent dictiones vocalibus plenas vt Veneti, alij poſtea ab ipſis abhorrent, & habent verba, vt plurimum conſonãtibus abundantia non euidentibus, & ferè biſſyllabas vt Bononienſes, alij ſunt hoſtes literæ Z, vt Senenſes, & Lucenſes, qui *aueſſa* loco *auezza*, & Pedemontani, qui *altetta* pro *altezza* pronunciant, alij G, fugientes, loco eius vtuntur Z, vt Flaminiæ populi, qui *ziuſtitia*, non *giuſtitia* efferunt. Et quoniam hi ſunt ex numero eorum affectuum, qui à Philoſophis, vt plurimum contingentes dicuntur, neceſſariò ſuas habent naturales rationes, quarum, aliæ ſunt vniuerſales, ſicuti Cœlum, vel (vt meliùs loquar) clima, aliæ particulares, quæ ſunt ſitus regionis habitationis, cibus, & tandem commercium, aut conſuetudo, quæ tamen ſemper habet principium à naturalibus inclinationibus; quia quemadmodum non poteſt accendi ignis in corpore, quod ſuapte natura non ſit combuſtibile, ita non poſſunt introduci mores tales in non habentem habilitatem ad eos recipiendos.

Dico igitur quod diuerſa verba mihi monſtrabunt ſcribentis patriam, & quo loci educatus fuerit, atque inde cum cognouerim poſtea qualitates, & mores vniuerſaliter conuenientes ſcriptoris patriæ, concludam eum eſſe talem, vt ſunt alij, qui inibi oriuntur; & ſi nouerim hunc patria Venetum, vel Marchiæ Taruiſinæ, videns eum aliquando conſonantes declinaſſe, & di-

xiſſe *raro* pro *raggio*, potero etiam conijcere ipſum eſſe iuxta naturam eorum populorum, illorumq; habitus contraxiſſe.

Auctor, cuius ſententia valdè omnibus probatur, & non parum in philoſophando verſatus, aſſerebat mores, voces, & propoſitiones ſequi naturam proferentis; & ipſos proferentes, tales eſſe, qualis erat locus, qui eos conſeruabat: & in huius confirmatione adducebat exemplum mirabile, quod fluuius Niger qui maximam Africæ partem in duas diuidit regiones, quarum occidentalior dicitur Terra Nigrorum, orientalior ab altera hac parte homines omnes habet albos; etſi contingat Nigrum tranſire flumen, aut albus euadit, aut ſaltem multam nigredinis partem exuit, modò per aliquod tempus ibi moretur. At ſi albi illuc tranſeant, ac aliquo notabili ſpatio maneant, adeò tinguntur, & atri fiunt, vt vix recognoſcantur, quem affectum opinabatur ille Auctor originari à vapore, qui eleuatus à terra, & totaliter diuerſus ab eo, qui citra flumen cum aëre miſcebatur, & propter ſui naturalem ſiccitatem iunctam calori Solis, effectum illum in humana carne imprimebat, quem efficit ignis in ligno; & læuitas, & luciditas, quæ in Æthiopum cute apparet induci ab humido aereo, quod vulgo vocamus pinguedinem. Hac igitur de cauſa, concludebat ille, loci diuerſitatem diuerſimodè corpus noſtrum afficere, & ideò determinabant Hiſpani, bella, quæ perpetuò fuerant in Perù, primo quidem inter incolas, poſtea verò inter eoſdem Hiſpanos oriri à ſitu, & diſpoſitione illius regionis. Quòd ergo diſpoſitio ſitus particularis diuerſificet humanas qualitates, & ſitus varius fiat non modo ratione diuerſitatis climatum, verùm etiam multò magis propter diuerſas ſituationes montium, planitierum, lacuum, fluminum, & marium; indeque euenit quod cum diuidatur Italia ab Apennino monte ab ortu ad occaſum, atque eius extremitates geminis alluantur maribus habitatores magnam diuerſitatem ſituum impleant, & proinde lingua euentu, facie, & moribus magis differat Italus alter ab altero, quam Polonus ab alio Polono, licèt Polonia extra vllam comparationem Italia ſit maior: idq; eoquod regio tota ſit plana, nec minimo quidem colle extuberans; quòd etiam dicunt accidere Tartariæ, non minus planæ, ac ſit Polonia, aut Lithuania. Sed redeamus in Italiam. Qui loquuntur ſine multitudine conſonantium, ac dictiones conficiunt, (vt aiunt grammatici) puras, rationabiliter lenti erunt in diſcurſu, & in actionibus quia valdè abundant humido, & cito

cane-

caneſcunt, & ideo regi ſunt apti, legibus obſequentes, & valdè inſtabiles, & volubiles, ac mediocri in rebus deliberatione; & vt ita dicam, nimis prudentes, id eſt nimis ad omnia reſpicientes, quique dant potiùs ſigna timoris, quam contra, & tales vt plurimùm videntur eſſe Veneti. Quapropter iure quidam Auctor ridebat Florentinos, qui reformationem ſuæ Reipublicæ molientes animum aduertiſſent ad leges Venetas, cum tamen ingenia eorum nequaquam habilia fuiſſent iis ſuſcipiendis, atq; obſeruandis. Quicunque igitur naturaliter loquens vtitur vocibus Venetizantibus, orauè finitimæ, credi poterint in eo adeſſe multi mores, & diſpoſitiones vti frequenter, & vniuerſaliter reperiuntur in earum partium habitatoribus, quæ tales ſe manifeſtant, quales ſuperius diximus. Et ſi quis diceret talem ſitum nequaquam debere eſſe originem tumidi animi, oriri id reſpõdebitur ab obſtinatione, quę eſt vna ex ſpeciebus ſuperbiæ, orta ex ſiccitate illius humoris, qui vitalis appellatur à terra mari mixta producti. Et hinc eſt quod Inſulani vt plurimùm ſint praui, perfidi, arrogantes, & ſuperbi; ſed multò magis omnium illi, qui habitant Inſulas plenas montibus, aridas, & inaquoſas, ceu Corſicam, & Sardiniam.

Et viceuerſa diſponuntur illi, qui multis vtuntur conſonantibus, quia a diuerſo temperamento id oritur. Et propterea Germani concetrato calore, & præternaturali ſiccitate à multo calore producta abundantes, liberaliùs bibunt, & inde oriuntur illæ dictiones monoſyllabæ, & plenæ conſonantibus; & quia intrinſecus ſunt valde calidi, quodam impetu minaci loquuntur, adeoque dictiones quaſdam gutture, efformant. Hæc linguæ velocitas pariter ineſt Genuenſibus, quia loca calida, ſicca, & petroſa incolunt, vnde in paroemiam venit ipſorum montes eſſe ſine lignis, ceu mare ſine piſcibus; quapropter locus calidus, & ſiccus efficit eos tamquam flammam, citos, volubiles, leues, ambitioſos, diuitiarum cupidos, cum ſit de natura ignis ad ſe trahere, & occupare ſibi proxima: & propter ſiccitatem tenaces, & parcos propriæ ſubſtantiæ, pecuniæque cumulatores; & hæ proprietates ambitionis, & elationis efficiunt eos ſeditioſos, & diſcordes, & tales qui natura difficulter poſſent habere ſubditos, neque admodum facilè liberos conſeruari, niſi legum rectitudo, adquiſita prudentia, & ratio, quæ in multis ex illis prædominatur ipſos regeret. Sed cæteri, qui latos Italiæ campos colunt, diſtantes à montibus, & mari, ſi reſpiciant Septen-

ptentriones, frigidi ſunt participes, & item voces abreuiant, vtunturque conſonantibus, cum naturalis frigiditas ijs interdicat explicare linguam diſtinctè omnes ſyllabas exprimere, quæ dictiones componunt, quod cernitur in Ferrarienſibus, & eorum finitimis; & Romandiolæ habitatores qui monti magis accedant, magiſque frigoris participant, magis indiſtinctè loquuntur, verba magis abſcindentes. Mediolanenſes verò locum habitant humidum, & omnes illi colunt plagas valde lætas, & ſubiectas aëri craſſo, propter vapores, qui aſſiduè eleuantur à terra, loquuntur quadam imbecillitate, & multos accentus addunt vltimis dictionum ſyllabis; quare etiam conſequenter moribus ſunt frigido, & humido temperamento conuenientibus. Sunt igitur, vt plurimum, ſtaturæ longæ, quia humidū illos creſcere facit; cumque multi ſunt, audaces, & elati; ſoli verò placidi, pacifici, ingenio obtuſo, iudiciò debili, ſed tamen magna memoria, & multa patientia: & ſi tam eſſent temperati, quam liberales; & familiari vſu cultiori, & humaniori, æquiparandi eſſent cuique politicæ genti. Porrò Etruriæ cultores, ſi collibus accedant, à multitudine quidem conſonantium abhorrent, ſed valde vtuntur aſpirationibus, & gutture loquuntur, more Hebræorum; namque cum montem habitent non minus meridici expoſitum, quam Hieroſolyma nec minus quam Sion ſaxoſum, iure habent etiam accentus Hebraicis ſimiles, atq; conformes, proindeque ſunt ſolertiſſimi propriæ commoditatis amatores, & propterea parum humani, liberales, & grati: & licèt ſint adeo iudicio præditi, & callidi, malè tamen conueniunt, & malè concordant, cum nimis ſubtiliter quiſque res ſuas moliatur. Illi autem qui habitant planities a mari remotas, veluti qui incolunt principium oræ Senarum maritimæ, cum ſit ibi aer calidus, & humidus, participant quoque huius complexionis, & propter calorem libenter aliena deſiderant, & propter humidum, cum ea obtinuerint, retinere neſciunt, & naturaliter iudicio carent, & ſolertia, ſed vt aiebat Virgilius

Congeſtis gaudent prædis, & viuere rapto.

Hæ igitur ſunt differentiæ, quæ in regionibus apparent; ac varietas prolationis earundem dictionum forſan inde oritur, quod in omnibus locis vnde diſtinguitur commercium à maribus, fluminibus, & montibus, loquutio etiam diſtinguitur, & prolatio differt, & hæc differentia præſertim cernitur duobus in locis, ideſt ſub Æquatore, & ſub quadrageſimo quinto gradu

Zona·

Zonarum temperatarum, cuius ratio forſitan eſt, quòd vbi Libra æquilibratur, quodlibet minorum alterutram partem inclinat, indeque eſt, quòd in Peruuia tot differentias efficiant montes, planicies, & mare. Sed quod attinet ad terminationem dictionem, ſciendum eſt quod eas terminare ritè, & iuxta illud quod vſus acceptus communiter iubet, oſtendit hominem aliqualiter intelligentem, & viceuerſa quilibet error in terminatione, vel conſtructione oſtendit hominem, ira, dolore, vel timore affectum, aut parum in literis verſatum, & exercitatum. Atque hæc circa voces, & earum terminationes dixiſſe ſufficiat.

Quidnam à phraſium diuerſitate colligi poſſit. *Cap. VIIII.*

PHraſis, ſeu locutio eſt in triplici diſcrimine, ſcilicet propria, translata, & figurata, propria vtimur in doctrinis, & quando aliquid ſeriò agimus, & conuenit generi deliberatiuo, & ijs, qui aliquid narrant. Translata, & figurata duobus alijs inſeruit generibus, & explicandis conceptibus, qui ex iraſcibili, aut concupiſcibili appetitu oriuntur. Fit ex tribus hiſce genus quoddam, quo vtuntur Poëtæ, & omnes alij, qui aliquid ſublimi genere dicendi tractare intendunt.

Cum phraſes proprijs dictionibus conſtabunt, ac ſine illis ornamentis, quæ à Græcis, & Latinis Schemata dicuntur, tunc dicemus ſcriptorem eis vtentem eſſe quietum, liberum à quibuſq; paſſionibus, mediæ ætatis, minimè ſuperbum, aut arrogantem, animo moderato, & fideli, & cum quo quiſque poſſit ſuos ſenſus, exprimere, & videmus vt plurimum inferiores, & egentes dum petitiones exponunt vti locutione propria, vt ſæpe eſt apud Virgilium in narrationibus. Sed ſi locutio erit tranſlata, iuxta translationes poterint etiam cognoſci qualitates vtentis; immo fortaſſis nullus eſt ſermo magis id oſtendens translatione, cum enim ea ſit quodammodo ſimilitudo, vel ſaltem orta ab ipſa, qualis eſt ſimilitudo, talem, & ipſa ſe exhibet. Cum igitur ordinariò ſimilitudines capiantur à rebus cognitis, & quiſq; benè cognoſcat res ſuæ profeſſionis, accidit vt Metaphora, & Tranſlatio oſtendat eſſe, exercitium, & naturam perſonarum, quia, vt ait Ouidius

Nauita de ventis, de bobus tractat arator.

Quia

Quia ergo translationum aliæ ſunt viles, aliæ nimis obſcuræ, quæ magis accedunt ænigmati, quam allegoriæ, quæ eſt quodāmodo exceſſus translationis; & harum aliæ ſunt mediæ, rurſusq; harum, aut nobiles, aut ignobiles, ideò dicemus vilem, & abiectam translationem, à rebus inhoneſtis captam arguere ſcriptorem turpibus moribus malè educatum, intemperantem, inuerecundum, inconſideratum, & illum cui ſcribit nauci facientem, atque eum habentem, aut valde familiarem, aut parum dignum qui ab eo magni fiat. Et de aliquo habente quandam ex his proprietatibus, poterunt argui etiam illæ, quæ his conſequuntur, ſcilicet quod libentiùs iocetur, ludo delectetur, ſit indignabundus, ſed citò quieſcat, quod non ſit multæ ætatis, nec filios habeat, & præſertim virgines fœminas, & ſimilia, quæ à ſuperiùs dictis dependent. Propter vilem translationem qua Carus vſus fuiſſe videtur quando Galliam vocauit *Conca*, dicemus talem eſſe plebeium, non nobilem, vel in delicijs nutritum, ſed pauperem, & inter inopias educatum.

Sed rectè metaphoras iudicanti opus eſt, vt animaduertat id, quod dicitur non modò, verum etiam ratio, & finis, qui ad id dicendum impellit. Et an loquatur detrahendi, & obtrectandi gratia, aut ioco, aut ira, aut alio affectu; an verò quia ita eſt conſuetus loqui, & hic eſt ſuus mos, vt tali locutione vtatur; quod cum ita fuerit, tunc facilè credere poterimus qualitates animi, phraſibus reſpondere. Sed ſi acciderit ſcriptorem explicare intentionem ſuam pauliſper poeticè, & inflato ſtylo, ſequitur, vel parū pollere iudicio (ne dicamus eſſe furioſum, & paſſionibus nimis ſubiectum) taliq; pacto ſcribere ſolent amantes, & quia quatenus tales ſunt ſemiſtulti, ideo illis cōueniunt iſti modi, & ita etiam reſpōdebant antiqua Oracula, quæ etiam, vt magis recederent ab vſu ordinario, verſibus loquebātur. Credibile eſt igitur ſcribentem ſimilibus metaphoris Solis, & Syderum eſſe (vt dictum eſt) hominem inflatum, putantem, ſe multa ſcire, chimæris plenumque, inſatiabilem, nimis loquacem, culpantem aliena facta, dictaque contemptorem periculorum cum longè ſunt, ſed vilem cum adſunt, talemque, qui Deum non noſcat, niſi in neceſſitatibus. Has proprietates multæ aliæ ſequuntur iuxta appetitum, videlicet eſſe helluonem, quia rari ſunt blaterones, qui piloſo corpore, non ſint, & ore amplo; & iſti vt plurimùm ſunt valdè voraces, & propter dictas rationes curioſi, & quæſitores alienarum rerum. Sed animaduertendum eſt ab vnica

ca

ca metaphora, qua aliquis vna vice vtatur non poſſe fieri tale iudicium, quia, vt ait Ariſtoteles, vna Hirundo non facit Ver. Qui verò allegorizant, atque ænigmatice loquuntur cum difficulter alio modo ſcribere ſciant, ſunt turbido intellectu, atque confuſo, qui ſæpè ſemetipſos non intelligunt, & in hoc tam parum ſcientes, vt neſciant ſe nihil ſcire, & propterea natura libenter contradicunt, iudicio carent, ſunt in proprijs cogitationibus pertinaces, indiſcreti, moroſi, pleni quodam genere odij, & indignationis, erga homines, quæ eos reddit, ruſticos, inciuiles, & parum amabiles. Has igitur, & ſimiles proprietates in ijs frequenter apparebunt, qui vti conſueuerunt oratione translata, aut ſuas ſcriptiones multis inferciunt metaphoris. Sed qui vtuntur metaphoris propinquis, communibus, vulgari vſu acceptis, atque ita planè, vt iudicio præditus lector nihil inibi agnoſcat particulare, atque diſtinctum ab vſitato loquendi genere, iſti erunt diſcreti, iudicio pollentes, callidi, actiui, practici, neque oderunt, neque diſpoſiti ad amandum erunt, abſque occaſione, eruntque ciuiles, ſed potiùs auari, quam contra, & hac de cauſa fidem fallent aliquando, mendaces erunt, & pleni excuſationibus, libenter litigantes, & propter pecuniam non longè aberunt ab aliquo illaudabili facinore perpetrando.

Quodnam iudicium ferri poſſit ex figurata oratione. Cap. X.

FIguræ, quæ in locutione cadunt ſunt in duplici diſcrimine, & aliæ quidem orationis ſunt, atq; à Græcis Schemata dicuntur, ceu Synecdoche, Zeugma, Epanaphora, Epanalepſis, &c. Aliæ verò ſunt conceptuum, & dicuntur tropi, ceu Tapinoſis, Hyperbole, Paroemia, Ironia, Antiphraſis, & cæteræ, quæ à Rhetoribus afferuntur. Vt igitur antea loquamur de figuris orationis, animaduertendum eſt harum alias eſſe adeò vſitatas, & populares, vt parum, aut nihil ex ijs inferatur; quapropter ſi cum dixero, Vxor mea, & ego benè habeo, vtar zeugma, aut alia ſimili, manifeſtum eſt me non magis ex hoc, quam ex conſueto, & proprio loquendi modo quidquam collecturum. Sed vt etiam aliquid de hoc dicamus ſi priuatam nobis ſcriptionem legere contigerit, multis in conſtructione figuris refertam, aderitque

ritque Epanolus, replicatis multoties, & non artificiosè vocibus, cenſebimus ſcribentem eſſe minima memoria, aut non animaduertentem, vel quod affectu graui occupatus ſit; aut quod non conſideret quid loquatur, vti Petrarcha

Carmenta, e Pico vn gid de noſtri Regi

Hor vago augello, &c.

Apparet, igitur duos proponere, ſed de vno tantum loqui. Paradiaſtole propterea cogit nos dicere ea vtentem eſſe cacozelia, affectum, & ingenium, ac literas oſtentare velle, naturaliterque inflatum, & minimi iudicij, cum his modis præter rem vtatur. Dixit Petrarcha

La ſera deſiar, odiar l'aurora, &c.

Antiphraſis eandem cacozeliam, hominemque vanum eſſe, veluti ſi dixero

Io chieggio à morte, incontro à morte Vita.

Metalepſis, hoc eſt Variatio, valdè communis in Bononia Vrbe, oſtendit hominem in ſeipſo confuſum, qui ſe ſcire putet ſtolidum, & ſui magis quam par ſit amantem. Conſiſtit in variatione diſcurſus, & in tranſitu ad res diſparatas, abſque medio, vti Petrarcha qui laudans oculos Lauræ, hæc protulit

O Fiumi, ò Selue, ò Fonti, ò Campi, &c.

Et alibi

Da i bei rami ſcendea

Dolce ne la memoria.

Similiter Apoſtrophe, quæ eſt conuerſio ad aliquid differens ab eo, de quo loquimur, vel animatum, vel inanimatum; vel preſens, vel abſens, eaſdem qualitatem oſtendit. Exemplum habemus apud Petrarcham.

Da Vn Viuo fonte ogni poter s'accoglie;

Ma tù perche il conſenti, ò ſommo Padre?

Minus admodum vituperantur Syllepſis, & Prolepſis, & valdè minorem oſtendunt cacozeliam, & vanitatem ſcribentis, præſertim cum parcè fiunt. Quod ita non dicam de Synechdoche, nec de Oppoſitione. Zeugma in principio, medio, aut fine, vti figura frequentiſſima, & ceu per ora omnium hominum, non præbet anſam ſiniſtrè de ſcriptore iudicandi. Hac vſus eſt Petrarcha ibi

Non nè ſtanza, è ſaſſo in queſti monti.

Et ibi

Con Amor, con Madonnà, e meco garro.

Sed

Sed vt vniuerſaliùs loquamur, neque exorbitemus à propoſita tractatione. Dicimus phraſes figuratas paſſiones rationalis partis reſpicientes nobis oſtendere, quomodo eã diſpoſita ſit, & v. g. Hirmus qui eſt ordo continuatus orationis, quæ ſub vnico verbo regitur, denotat eo vtentem quietum animo, & medio-cri iudicio, & conſequenter manſuetum, & benignum, quo dicendi modo vſus eſt Petrarcha ibi

Le Stelle, il Cielo, e gl'Elementi à proua.

Contrapoſitio, quæ dicitur à Græci Antitheton oſtendit hominem aliqualiter indignabundum, ſed tamen callidum. Vt in illo

Pace non trouo, e non hò da far guerra, &c.

Similiter Chronologia, Topographia, & ſimiles oſtendunt qualenam ſit ingenium, & iudicium ſcribentis, ſi enim poeticum redolent vanum, & elatum hominem manifeſtant, ſi imperfectæ, debili iudicio, & vno verbo ab earundem eſſentia arguitur qualitas principii, vnde prodeunt. Figuræ Polyſyndeton, & Aſyndeton iraſcibilem indicant, ſuntque in vſu exaggeratione, & amplificatione eorum quæ narrantur; quapropter ſi abundantiùs, & frequentiùs, quam par ſit appareant, indicia ſunt ſunt iracundi, ſuperbi, & inflati hominis; prima vſus eſt Petrarcha dicens

Vedi, odi, leggi, e ſcriui, e parli, e penſi.

Et altera.

Santa, ſaggia, corteſe, honeſta, e bella.

Apoſiopeſis, ſiue reticentia tripliciter oritur, à multa ignorantia, aut ab ira maxima, vt in Neptuno apud Virgilium, aut à verecundia, quia propter hanc honeſtæ mulieres multa ſilent; ira vero non penitùs rationis expers imperfectè aliquando ſuos explicat conceptus. Hæc etiam vtitur Hypallage, vni tribuendo, quod alteri competit veluti, cum Petrarcha dixit

D'vn magnanimo cerchio.

epitethon Popilij tribuens circulo. Faciunt quoq; Imprecatio, & Execratio, aut preces minis permixtæ ad iraſcibilem, & ab his dignoſcitur alieni animi perturbatio. Homioteleuta, ſeu quæ vulgo dicimus *Rime* in ſoluta oratione, necnon Parecheſes, aut paronomaſiæ vulto *Biſticci*, opera ſunt concupiſcibilis, oſtenduntq; hominem ſcurram agentem. E ſi quæ figura in ſcriptione, aut in ciuilium praxi exulare oportet, harum proprium eſt. At Proſopopeia, quæ loquentia inducit inanima,

eſt a ſeò inſolens,& longiqua tantumq; abeſt à ſtylo epiſtolico, vt abſolutè ſine iudicio reputandus veniat, qui ſæpè ea vtitur. Reſponſio obiectionibus tacitis deriſiones, interrogationes cum dubitatione, quæ dicitur Diaporeſis,& Dialogiſmus ſigna produnt importunæ mentis perturbationis, & hominis anguſtiati, infelicis; & videntur vltimæ reperiri in ore valde idiotarum, & irreſolutorum, ambæque ſunt frequentes apud vulgares Lombardos: & ſicut prudenter collocatæ ſunt lumina orationis, ita nihil faciunt, imò contrarium potius, quando ijs quis vtitur præter rem. Solœciſmus,& Barbariſmus, quæ vitia ſunt orationis, oſtendunt ignorantiam habitu confirmatam pauco iudicio coniunctam, Impropria loquutio, ſeu Acyrologia propriâ eſt iræ, amoriſque Venerei qualitas. Pariſon,& Periſſologia ab amantibus procedunt, cum ab affectu, aut anxietate agitantur. Amphibologia non ſtudioſa oritur ex ignorantia, ex pauco iudicio, & ex dubietate, & hinc oritur Eclipſis. Periphraſis verò illi opponitur, quæ rem longiùs iuſto deducit, eſtque propria blateronum, vanorum, & arrogantium. habemus exemplum apud Petrarcham

Gia fiammeggiaua l'amoroſa ſtella.

Tapinoſis, quæ ſemper res deijcit, oſtenditque minoris, ac ſint, eſt qualitas dubioſi nocentis, iniurioſi, deſperantis, deniq; eius, qui minoris res æſtimet, ac ſint. Hac non minus, Lyptote vtitur ſuperbus, in enarrando aliena; à vili, & elato in pertractando res proprias. Cacophonia oſtendit hominem auribus, & iudicio carentem, ſicuti etiam epiſtolæ, quæ per accidens conceptus oſtendunt impuros, & ab honeſtate alienos. Hæc igitur ita vniuerſaliter tactæ ſunt qualitates, quæ ex figurata oratione conijci poſſunt.

Quanam per Figuras conceptus, Tropos appellatas, ſignificentur. Cap. XI.

TRopos dicitur illa figuræ ſpecies, quæ conceptus propria eſt, adeo, vt in quacunq; lingua tranſiens eadem maneat. Modo quia hæ magis animæ accedunt, quæ principium eſt actionum omnium noſtrarum, ac proprietatum, rationabiliter magis naturam ſcribentis quacumque alia manifeſtant. Et idcircò videntes ſcriptorem vti Paroemia, id eſt iocis, & ſalibus, vt illo

Pro-

Prouerbio. *Ama chi t'ama, è fatto antico* & *Mal ſi conoſce il fico.*

Poterit manifeſtè argui ſcribens vafer, & iudicio pollens, ſi modo ad rem eos adhibeat, & conſequenter diſcretus, diligens, induſtrius, & cæterarum ſimilium qualitatum, quoad intellectum. In reliquis grandæuum, temperamento melancholico, gracilem magis, quam ventricoſum; talis enim eſt diſpoſitio iudicio præditorum: Item, & in amore, & in odio ardentem, ſericordem æque, ac inuidioſum, & reliquorum, quæ hanc craſim comitari ſolent. Si frequentem videamus Carientiſmum, qui dura, & aſpra emollit, vti ſi latro, vel ſycophanta vocaretur vir, qui alieno ære commodùm vtitur, iudicabimus ſcriptorem modeſtum, mitem, amabilem, diſcretum, comitem, & qui libentius fugiat odium proprium, & alienam offenſionem. Comparationes (iuxta Ariſtotelem) à metaphoris diſcrepant, & quales ipſæ fuerint, perſonas iudicabimus, etenim non decet nobiles comparationes in ore plebeiorum reperiri. At comparationes in epiſtolis, & priuatis collocutionibus parum conueniunt, nam dictum eſt his propriam eſſe propriam locutionem, & ſi fortè adſit comparatio, oportet vt ſit potiùs tacta, quam expreſſa; & nomine comparationis nunc intelligo omnem æquiparationem, quæ cadere poſſit inter duo, quæ in eadem, aut oppoſita qualitate vtcumque participent. Comparatio rectè facta, quandam ingenij viuacitatem, & prontitudinem imaginatricis oſtendit, ideò probabile eſt tales veloces eſſe in actionibus ſuis, copioſos in agibilibus, & conſequenter bilioſos, ac melancholicos. Notant ſcriptores, & præſertim Victorius, non vacare vanitate vti comparatione in familiari diſcurſu, nam oſtenditur quædam ſuperioritas, ac magiſtralis auctoritas ſuper his, quibus ſcribitur, aut loquitur aliquis; quod odioſum eſt. Periphraſis neceſſaria eſt cùm parum honeſta tractantur, aut parum clara, & caremus verbis exprimentibus: & in his caſibus ea opus eſt, atque vti laudabile, cum quandoque alloquimur, aut non cognoſcentes propria rerum vocabula, aut ipſa ſunt parum conuenientia: velut ſi dicere debeam aliquam corporis partem, cuius nomen non benè ſonet, illam circumſcribam, & pro ſura, aut tibia, dicam partem cruris carnoſam, aut partem anteriorem eiuſdem. Sed in quacumque alia occaſione quicumque Periphraſi vtitur, ſe ipſum inopem verborum, parumq; in vocibus verſatum demonſtrabit; & hoc eſt melancholici pro-

prium, qui non reperit rerum nomina, atque adeò minus, quo magis opus vrget, & in id laborant; quapropter qualitatibus, melancholiæ conſequentibus præditus erit. Idem denotat Catachreſis. Sed Metonymia è contra ſplendorem affert orationem, velut etiam epitethon, vel adiunctio, cum otioſa non eſt hominem oſtendit, eloquentem, diligentem, promptum, ingenioſum, ſed ſuperbum, arrogantem, & ijs qualitatibus, quæ craſim bilioſam conſequuntur, donatum. Qui ſæpius vtitur Hyperbole, inflatus, blatero, ignarus, mendax, & adulator apparet; denique is eſt, qui homo ferè nihili, ſe magnum exiſtimat virum. Parentheſis, Turbatio, ſeu Hyperbaton, Syntheſis, & Hyſteron proteron ſimileſque aliæ confuſum, & inordinatum iudicium indicant, ſi frequentes, & non appoſitè appareant. Sed Emphaſis loco, & tempore debito, hominem affectu plenum indicat, & ſi id de quo agitur hanc non requirat, ſcribentem indigitat, valdè callidum, audacem, promptum, naturaliter eloquentem, ſeditioſum, & aptum ad tumultus excitandos. Figuræ quæ Icones, Parabolæ aut Paradigmata vocantur, rarò locum habent in familiari ſermone, quia eas non decet verſari, niſi in ore virorum excellentiſſimorum, doctorum populorum, & vulgarium; nec priuatus poterit eas citra ruborem verecundiæ vſurpare. Apotheoſis, vel Deificatio, qua quis ſuper Aſtra ponitur, licèt pro mortuis tollerari poſſit, attamen cum viuis nimium habet adulationis, & nimis eſt (vt ita dicam) quid hyperbolicum: credique poteſt hunc loqui magna ſpe, & minimo cerebro. Nunc verò quoniam ex ſupradictis oritur Characteris ſeu ſtyli diuerſitas, de his parumper verba facientes aſſumptum nunc terminabimus.

De qualitatibus, quas ex ſtylo, ſeu Charactere ſcribentis colligere licet. Cap. XII.

QVemadmodum nihil aliud eſt, quod nobis oſtendat, & in qua magis niteant ſcriptoris qualitates, & mores eiuſdem veluti ſtylus, ita nihil aliud eſt adeò difficile cognitu, ac ipſe; & præſertim eius difficultas conſiſtit in notitia aſſignanda diuerſitatum rationis inter hunc, & illum; neque mihi videtur exemplum magis eius eſſentiam demonſtrans, ac humana facies. Habent e.g. omnes iuuenes formoſæ ſpecioſam faciem, ſed mul-

tum

tum diſcrimen eſt inter vnam, & aliam: & licèt dignoſcatur iſtud diſcrimen, non tamen ita facile eſt aſſignare quodnam id ſit. Sunt ſtyli, ſeu characteres (vt alias ex Cicerone diximus) tres, Magnus, Mediocris, & Humilis; Demetrius Altum appellat magnificum; humilem, tenuem, mediocrem verò diuidit in Ornatum, & Grauem; & quilibet poſtea varijs, ac proprijs dicendi formulis exornatur. Manifeſtum eſt igitur ſtylum hunc aptum eſſe ad demonſtrandas multas ſcriptoris affectiones, quemadmodum facies. In differentijs ſuis ſunt difficiles cognitu; & ad dignoſcendum vnde oriantur iſtæ ſtylorum varietates animaduertendum eſt, quod ſicut non modò diuerſa elementa diuerſas generant ſyllabas, verum etiam ſitus earum mutatus ſimiliter eas diuerſificat: quapropter dicebat quidam Philoſophus eaſdem litteras Tragœdiam, & Comœdiam componere: ita etiam diuerſa verborum ſyntaxis valde ſtylum diuerſificat, & modum ſcribendi. Quare, cùm quinque ſint, nimirum Litteræ Syllabæ, Dictiones, Orationes, & Conceptus, manifeſtum eſt variationem alicuius antecedentium ſemper varietatem efficere in conſequentibus. Orationem hoc loco dico, quam Demetrius periodum dixit, quæ inter duo puncta firma clauditur; &, vt dixit Ariſtoteles, conceptum integrum conſtituit, cui intellectus audientis adquieſcit. Poteſt comprehendere periodus, iuxta Demetrium, ab vno ad quattuor membra, ſuntque conceptus ſtylorum reſpectu, quemadmodum homines reſpectu veſtium. Nobilis habitu ruſtico facie tamen nobilitatem retinet, & ita ſe habet conceptus altus, & nobilis tenui comprehenſus ſtylo; & pariter humilis conceptus altis, ac nobilibus verbis ornari poteſt, vt Virgilius feciſſe apparet in Veneris, & Vulcani, atq; Aeneæ, & Didus congreſſibus. Poteſt etiam fieri, vt ſit quiſque iuxta propriam conditionem indutus, & ſimiliter quiſque conceptus modo dicendi ſibi apto expreſſus. Obſeruant veſtium artifices, vt iuxta qualitatem iiſdem vtentis Phrygio opere, vel ſegmentis decorentur; ſimiliterque in exponendo conceptu proprio ſecundum propriam eſſentiam ornari poteſt ſchematum diuerſitate, atque his ſtylus variari. Sed relicta Rhetoribus hac conſideratione dicemus, Stylorum Altum epiſtolæ non conuenire, neque Mediocrem ſecundum eam partem, qua ornatus vocitatur; riſu enim dignus eſſet qui hoc vteretur ſtylo in priuatis rebus cum priuato tractandis, quapropter de graui, atque humili diſſerentes dicemus grauem, aut eſſe æqualem,

dem, & iſte dicitur manifeſtus, & planus, aut difficilis, & obſcurus: inæqualis aut prolabitur in humilem, aut extollitur ad altum & ornatum, & conceptus qui exprimuntur, vel illum decent, vel non: ſuntque aut cum ratione, aut præter rationem; & ſi præter rationem, aut propter effectum, aut propter mores. Humilis ipſe quoque ſecatur in demiſſum, & vilem, amboque aut ſunt æquales, aut inæquales, taleſque, aut ob res, aut ob verba. Hæc igitur ea ſtylorum diuiſio eſt, quæ noſtræ intentioni accomodatur. Supereſt ergo vt videamus quid poſſint ita vniuerſaliter nobis oſtendere. Si itaque ſtylus erit æqualis, grauis, & clarus, inferri poteſt ſcribentem eſſe ratione, iudicio, ac literis pręditum, benè educatum, affectu plenum, veridicum, poteritq; probabiliter dici hunc eſſe potius parum, quam liberalem, conſideratum, honeſtum, & modeſtum; credibile quoque eſt non eſſe iuuenem neque fœminam, ſed hominem quietum, grauem, & ſeuerum. Stylus hic proprius eſt homini inter magnates conſtituto, vt in magiſtratu, quos decet ſemper ſine affectione loqui, neque ab honeſto diſcedere. Ita in Agramantis concilio producitur ab Areoſto Sobrinus.

Sed ſi obſcuritas huic ſtylo iungatur, credi poterit ſcribentem quidem eſſe grandæuum, ſed literis, ac iudicio vacuum, affectuque quopiam plenum, parùm conſideratum, confuſum, timidum, ac vilem; nam timor valde prohibet expreſſionem conceptuum, eoſq; confundit, ceu Dido apud Virgilium, quæ incipiens loqui tacebat, quod etiam expreſſit Petrarcha ibi

Perche io t'habbia guardato di menzogna.

Si grauis erit, inæqualiſq; ornatum verſus, vt illi faciunt, qui figuratis modis vtuntur præter vulgatum morem, cum id ſit neſcio quid Poetæ redolere, oſtendit hos probabiliter eſſe valdè vanos, & parum iudicio pollere non cognoſcentes quid deceat dum quærunt famam, ſapientium, & litteratorum. Et vt plurimùm in hunc decidunt ſtylum iuuenes amaſios agentes, abſque conſideratione vtentes translatis hyperbolicis, & formis, quibus ſe notificant, ſine iudicio mendaces, cacozelicos, & parum modeſtos. Sed cum ſtyli inæqualitas declinat in humilem, iſte vltra prædicta erit homo ætatis prouectæ, & ſine amoris, vel vanitatis paſſionibus, non tamen ſine timore, vilitate, & puſillanimitate.

Quid nobis indicet ſtylis humilitas. *Cap. XIII.*

CHaracter humilis, æquè, ac mediocris, atque altus, in ſuo genere laudabilis eſt, nec minùs difficile eſt eum exactè ſeruare, abſque quod in vilem decidat, qui eſt oppoſitus illi. Si ſtylus erit verè humilis, ſicuti eſt ille, quo vſus eſt Bernia loquendo de Anguillis, & de Carduis, & Mauius pariter in capitulis ſuis, fueritque ſimiliter æqualis, ceu habent citati Auctores, & ceu ille, quo vtuntur, vel vti deberent ſcriptores ſcientiarum, ſi modo cum ſubiecta materia concordarit: nam ſtyli, vt dictum eſt, habent rationem veſtium *reſpectu* perſonarum ijs indutarum, rationabiliter pronuntiare poterimus ſcribentem iudicio præditum, expertum, modeſtum, hilarem, & cuiuſcumq; paſſionis expertem, ætate mediocrem, minimè arrogantem, elatum, aut ambitioſum, & alijs ſimilibus qualitatibus, quæ animum quietum, & pacificum comitantur. Si verò ſtylus fuerit humilis, atque inæqualis ille veriſimiliter erit ignarus, paruus, verſipellis, malitioſus, mendax, & ſimiliter eodem penitùs modo, quo Brunellus ille producitur ab Areoſto. Nec valdè diſtat, ab humili, & inæquali (licet Poeticè vſurpetur) ille, quo idem vtitur Areoſtus cum Pinabellum inducit Bradamantem alloquentem. Si autem ſtylus erit humilis, & vilis, id eſſe poteſt, aut ratione rei, cuius agitur aut ratione qualitatis perſonę ſcribentis. Conceptus, qui ex rebus oritur ex tali conſurgens charactere paullum iudicij ſcriptori ineſſe denotat, cum ſit artis proprium corrigere, & velare turpia; quapropter negligentem, & ignorantem id facere, ſequitur iudicio, & honeſtis moribus carere. Scriptor ſpurciſſimus dialogorum Pippæ, & Nannæ, materia ſtylum deiecit, nec turpitudines verbis, tegere curauit. At interpres, Achillis Tatij Alexandrini honeſtè etiam turpiſſima narrare potuit. Cæterùm cū vilitas non oritur ex re, ſed ex perſona, quæ agit, neceſſe eſt dicere in hoc caſu ſcriptorem eſſe verè hominem infimi ſubſellij, ſcientia, ac iudicio carentem, idiotam, & ex fæce plebis, valdè ſubiectum iræ, puſillanimem, ſine ingenuitate, & veritate, & quales vt plurimum viles cernimus perſonas, & male morigeratas. Sic igitur ex dictis cuilibet manifeſtum eſſe poteſt in epiſtolis familiaribus ab hominibus

ſcriptis

ſcriptis multas apparere qualitates tam animi, quam corporis, quæ ex preſentia, atque viua voce dignoſci ſolent; neque à vero abeſſe id quod dicebat Nicetas Choniates hiſtoricus Græcus fuiſſe tempore Emanuelis Imperatoris quendam ei à cubiculo, qui apertè nouit, & notauit in Epiſtola Andronici Imperatori inſcripta, licet humillima, in ſcriptore ſuperbiam maximam, ferinam crudelitatem, animum tirannicum, & dolos ſubtiliſſimos; quapropter cauendum eſſe ne dictis eius fideretur, qui decipi nolebat; quod omne experientia notum, & confirmatum fuit. Non mirandum eſt igitur ſi aliquis dixerit in priuatis ſcriptionibus mores, cogitationes, & qualitates ſcribentis enitere. Et hæc dixiſſe ſufficiat ad excitandos animos virorum iudicio pollentium, vt fiant cognitores eius, quod leuiter in his paginis delineatum eſt; quod fortaſſe perfectum erit, cum aliquid àddetur circa Conceptus.

De Conceptibus (vt vocant,) & eorum natura, & ſignificatione. Cap. XIIII.

MIrandum non erit ſi cum Conceptus, qui in epiſtolis explicantur, dilucidius phraſibus, ad characteribus qualitates ſcribentis demonſtrent, attamen minùs de ipſis verba fiant in hac tractatione, quam cuiuslibet rei ad conſtituendam epiſtolam, nam cognoſcere paſſiones, atque proprietates animi alicuius ex eius conceptibus, eſt veluti noſcere patrem per filium, vel (vt melius dicam,) Solem per radios. Si igitur facillimum iſtud eſt, ſcilicet quod Conceptus declaret proprietas, & mores illius, qui eum explicat, & quod ars, & virtus indignantur laborare circa facilia, & ex triuio, nouum non apparere par erit ſi parum, aut nihil materia conceptuum pertractabitur. Conceptum voco illam mentis noſtræ operationem in qua vt plurimum conſiſtit compoſitio, aut diuiſiò, vt Philoſophi autumant; aut etiam per Cōceptum intelligere poſſumus illam animi paſſionem, quæ apta nata eſt exprimi per voces ſignificatiuas, quas vt quiſque audiuerit, intelligit, & illis acquieſcit. Et vt plurimùm Conceptus concluditur periodo; & indicium eſt eius finis, cum punctum apponitur. Conceptum alij ſunt proprij, alij verò figurati; Conceptum proprium voco illum, qui præcipuè repræſentat rem prout illa eſt; vt ſi dixero, Petrus flet, iſte

iſte eſt conceptus proprius, & verba, quæ illum mihi explicant efficiunt in me apertam cognitionem ſtatus, & naturæ ipſius, qui illum profert, abſque alio diſcurſu, aut impedimento. Sed ſi dixero, Fluunt lacrymæ de facie Petri, aut Petrus magnam vim aquæ emittit ex oculis, iam ſunt iſti conceptus figurati, nempè vnam rem dicentes, & aliam ſignificantes. Quum igitur conceptus ſimplex eſt, & ſine arte ſcriptum, ſcribentem pronuntiabimus ingenuum modeſtum, quietum, iudicio præditum, vanum honorem, æque, ac vanum opprobrium ſpernentem, atque probabiliter dicemus illum eſſe inter ſenem, iuuenemque, atq; à iocis, ſcommatibuſq; abhorrentem. Conceptus figurati illi ſunt ad quos explicandos aut antecedentia, aut conſequentia, aut repugnantia, frequenti veniunt in vſu; ita vt dum vnum dicitur, aliud intelligitur, quod aliquo modo, aut repugnat illi, quod fert animus, & quod ab alijs volumus intelligi. Vt cumque ſit, conceptus viles, triuiales, & vt ita dicam plebeij, rarò aut nunquam cadent in animum nobilis, & ingenui; & conceptus inflati, ſuperbi, & minis pleni, ac mala voluntate oſtendunt pariter eos, qui ijs vtuntur, tali animo eſſe. Rarum quoque eſt hilares conceptus in mœſtis reperiri, & eos qui moleſta ſignificent, animos ſcribentium eoſdem lætos eſſe; non tamen vt propterea negetur poſſibile eſſe, vt homo natura hilaris moroſa, & diſplicentia loquatur, ſed quidem aſſeritur hilarem loquendo res vt cumque moleſtas explicaturus eas diuerſimodè à mœſto. Et licet materia omnis, atque ſubiectum, de quo pertractatur luctuoſa, & flebilia exiſtant, attamen apparebunt particulares periodi ratione quodammodo grata explicatæ, atque in paginam deductæ: quod perſpicuum eſt legentibus poëmatia Berniæ, qui etiam quando magis conatur ſeria loqui, grauia, atque ſeuera, tunc magis videtur cogere in quandam ridendi voluntatem lectores. Et veluti aqua, quæ hyeme pluit, ſimulque æſtate eadem aqua eſt, & ambæ madefaciunt, nihilominus quoniam alia eſt natura æſtiui cæli, & alia aëris hyberni, a quo producuntur, ita euenit etiam vt diuerſimodè, à terra, & ab animalibus recipiantur. Repeto igitur id ſufficere, vt perſonæ à ſuis conceptibus cognoſcantur, præter enim rationem admodum eſt vitioſum, & inhoneſtum habere conceptus magnanimos, ac nobiles, atque in mentem ruſtici illuſtres oriri cogitationes. Vt forſitan qui dixit loquelam noſtram manifeſtos nos facere, magis reſpexerit materiam, & conceptum

quam phraſes, & voces, nam etſi hæc immediatè patriam, locumuè natiuum, aut nutritium loquentis manifeſtant, perinde etiam conceptus, mores, & paſſiones animi loquentis patefaciunt. Quapropter ſi aliquem audiemus qui in colloquutionibus ſæpe, & cum voluptate mulierum, aut lucri, aut vltionis meminerit, ſanè probabile eſt hunc luxurioſum, auarum, iracundumuè iudicari. Deniq; verum eſt quales filios, tales etiam eſſe patres, & qualis eſt modus, & qualitas conceptus in animum noſtrum cadentis, talem etiam eſſe loquutionem. Quòd ſi aliquis dixeris eſſe quidem neceſſarium, cum in duabus perſonis eadem ſit voluntas, atque appetitus, in ambabus, quoque ineſſe eundem conceptum, & eandem cogitationem, atque ideò non poſſe rationabiliter ex cogitationis diuerſitate argui diuerſitatem, aut cõuenientiam perſonæ, nam duo ſunt quidem diuerſi, ſed eandem habent voluntatem, atque cogitationem; his ego reſpondeo, nos videre duas Pomorum eiuſdem ſpeciei arbores, puta Apiorum vel Roſeorum producere æqualiter Poma Apia, aut Roſea, & tamen hæc valdè differrè inter ſe odore, colore, atque ſapore, cum in montanis arbor hæc orta ſit, illa vero in planitie; hoc pomum in ramo orientem Solem illud verò in occidentem reſpiciente productum. Si igitur natalium, locorumque diuerſitas tantam varietatem facit in rebus adeò duris, & terreſtribus, quemadmodum ſunt arbores, & poma, rationabiliter multò maior erit illa varietas, quæ minori occaſione fiat in animis, & ſpiritibus humanis ſuaptè natura præter omnem fidem aptis ad quamcumque minimam impreſſionem ſuſcipiendam, ſuſceptamque retinendam. Præterea tam etſi duo ſint eadem prorſus cogitatione, & conceptu vniuerſaliter, numquam tamen eodem modo, iiſdemque verbis, & periodis particulariter illum explicabunt, quod apparet dilucidè non ſolum in geminis auctoribus qui eandem rem pertractauerint, verùm etiam ſi bini homines idiotæ, & ex vulgo qui interfuerint ambo alicui facinori fuerint interrogati, numquã eodem penitus modo totaliter ennarrabunt, itaut inter eos non appareat quædam diuerſitas, qua mediante perſpicuum ſit duos fuiſſe, non vnum, qui facinus illud recitauerint.

Sic igitur ex ſupradictis, & ex his, quæ in hoc poſtremo capite addidimus, manifeſtum eſt (ni fallor ego) poſſibile eſſe ex ſcriptionibus, verbis, atque cogitationibus alienis, elicere non paruam cognitionem perſonæ ſcribentis, aut loquentis.

I N-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX CAPITVM

De ſignis ex Epiſtolis.

PRoemium. pag. 215
Epiſtolam miſſiuam multam poſſe exhibere cognitionem morum & qualitatum ſcriptoris. Cap. I. 216
Qualiſnam debeat eſſe ſcriptio, ex qua naturam, & mores ſcriptoris liceat coniectari. Cap. II. 217
Quænam corporis, animique proprietates dignoſci queant, in Epiſtola perlegenda. Cap. III. 220
Diſpoſitionum prædictarum alias per ſe in Epiſtolis apparere, alias vero conſequenter. Cap. IV. 222
Quibuſnam inſtrumentis, ac medijs cognoſcantur animi, corporiſque qualitates. Cap. V. 223
Quænam ſint ſignifioationes, quæ ex figura characteris conijci poſſunt. Cap. VI. 224
Quid indicet diuerſitas orthographiæ, & interpunctionis. Cap. VII. 226
De ſignificationibus, quæ ex vocum diuerſitatibus eruuntur. Cap. VIII. 228
Quidnam à phraſium diuerſitate colligi poſſit. Cap. IX. 233
Quodnam indicium ferri poſſit ex figurata oratione. Cap. X. 235
Quænam per figuras conceptus, Tropos appellatas ſignificentur. licet. Cap. XI. 238
De qualitatibus, quas ex ſtylo, ſeu char actere ſcribentis colligere. Cap. XII. 240
Quid nobis indicet ſtyli humilitas. Cap. XII. 243
De Conceptibus (vt vocant,) & eorum natura, & ſignificatione. Cap, XIV. 244

INDEX

Eorum, quæ in Tractatu de Signis ex Epiſtolis continentur.

A

Aethiopes quare nigri. pag. 230
Antiphraſis quid ſignificet. 236
Antitheton quid ſignificet. 237
Apoſtrophe quid ſignificet. 236
Apoſiopeſis quid ſignificet. 237
Apotheoſis vel Deificatio quid ſignificet. 240

B

Barbariſmus quid ſignificet. 238

C

Cacophonia quid ſignificet. 238
Character quid ſit, & quales eius partes. 219. & 223
Character quid ſignificet. 224
Character piger quid ſignificet. 224
Character piger inæqualis, cum lineis obliquis quid ſignificet. 225
Character velox, & inæqualis hoc eſt cuius litteræ aliæ craſſæ, & aliæ tenues ſunt ex habitu Scriptoris quid ſignificet. 225
Character velox, æqualis, benè formatus, quid ſignificet. 225
Character turpis obliquus, ſed intelligibilis quid ſignificet. 226
Character valdè paruus quid ſignificet. 226
Character longus cum ſubtili tarditate quid ſignificet. 226
Carientiſmus quid ſignificet. 239
Catachreſis quid ſignificet. 240
Colloquutionibus cognoſcendi conceptus, & mores animi. 246
Comma quid ſignificet. 227
Conceptus quid, & quotuplex ſit. 224. 244. 248
Conceptus humili ſtylo expreſſus quid ſignificet. 243
Conceptus ſimplex, & ſine arte qualis, & quid ſignificet. 245
Conceptus figuratus qualis, & quod ſignificet. 245

Corpus

Corpus dictionis quid ſit. 229

D

Diuerſitas natalium, & locorum facit varietatem in hominibus ſicut in plantis etiam ſi ſint eiuſdem ſpeciei. 245

E

Emphaſis quid ſignificet. 240
Epanodus ideſt repetitio earundem rerum quid ſignificet. 236
Epitethon quid ſignificet. 237
Epiſtola quid ſit, eius pulchritudo, ſubiectum, & proprietates. 218
Epiſtolæ quæ partes obſeruandæ, ut liceat mores Scriptoris coniectari. 219
Epiſtolarum ſpecies, quot ſint, & quæ partes. 219
Epiſtola ſine interpunctis commatibus, & diſtinctionibus quid ſignificet. 227
Epiſtola cum interpunctis, & commatibus rectè diſpoſitis quid ſignificet. 228
Epiſtola in qua commata, & puncta ſuas ſedes non tenent, quid ſignificet. 228
Epiſtola priuata cum figuris quid ſignificet. 235

F

Figurarum differentiæ quot ſint, & quid ſignificet. 235

G

Genuenſes linguę velocitatem habent, & quare. 231
Germani cur libenter bibant. 231

H

Habitantes Inſulas, & eorum qualitates. 231
Habitantes Regiones calidas, & ſiccas, & eorum qualitates. 231
Habitantes latos campos, & eorum qualitates. 231
Habitantes Regiones humidas, & vbi aer denſus eſt. 232
Habitantes montanas regiones, & eorum qualitates. 232
Habitantes planities, & eorum qualitates. 232
Hirmus quid ſignificet. 237
Hyperboles quid ſignificet. 233

I

Inſtrumenta quibus Epiſtolæ indicant animi, & corporis qualitates. 223
Itali quare inter ſe diuerſi. 230

L

Lineæ Epiſtolarum breues quid ſignificent. 225
Lineæ obliquæ, & inæquales quid ſignificent. 226

M

Metaphora quid ſignificet. 234. & 239
Metaphora communis, & vulgaris quid ſignificet. 235
Metalepſis, hoc eſt variatio, quid ſignificet. 236
Metonymia quid ſignificet. 240
Mores ſegmine varia temperamentorum genera. 222. & 223

O

Oratio figurata quid ſignificet. 235
Orthographia, & interpretatio quid ſignificet. 226
Orthographia turpis quid ſignificet. 226
Orthographia turpis, ſed cum aliarum par rectitudine quid ſignificet. pag. 227

P

Paradiaſtole quid ſignificet. 236
Paroemia ideſt cum iocis, & ſalibus quid ſignificet. 239
Periodus quid ſit. 241
Periphraſis quid ſignificet. 238
Phraſis quid, & quotuplex ſit. 223. & 233. *Et quid ex differentijs eiuſdem colligi poſſit.* 234
Phraſis propriorum verborum quid ſignificet. 234
Phraſibus quando vtendum. 234
Phraſibus translatis, & figuratis quibus in caſibus vtendum. 234
Polyſyndeton, & Aſynderon quid ſignificet. 237
Prolepſis quid ſignificet. 236
Punctus, & comma quid ſignificent. 227

R

Reſponſio obiectionibus tacitis quid ſignificet. 238
Regiones particulares habent naturales homines vim moribus, motu, ſtatura, & verbis differentes. 229

S

Scribens, vel loquens non poteſt totaliter deliteſcere in qua patria natus, & educatus ſit. 229
Scriptio quomodo mores ſcriptores exprimit. 217
Schemata quid ſignificent. 233
Sermo oſtendit patriæ diuerſitatem. 229
Sermo conciſus quid ſignificet. 232
Sermo Poeticus quid ſignificet. 234

Sermo allegoricus, & ænigmaticus quid ſignificet. 235
Sermo ſine multitudine conſonantium, & cum paris dictionibus quid ſignificet. 230
Sermo cum multitudine conſonantium quid ſignificet. 231
Sermo cum multis accentibus in vltimis dictionum ſyllabis quid ſignificet. 232
Sermo guture formatus quid ſignificet. 232
Sermo rectè terminatus quid ſignificet. 233
Solecíſmus quid ſignificet. 238
Stylus Epiſtolæ qualis. 217
Stylus quid, & quotuplex. 241. & 242
Stylus tenuis qualis, & quæ eiuſdem proprietates. 217
Stylus æqualis, grauis, & clarus quid ſignificet. 241
Stylus obſcurus quid ſignificet. 242
Stylus grauis, ſed inæqualis quid ſignificet. 242
Stylus humilis, ſiue æqualis, ſiue inæqualis quid ſignificet. 242
Sylleoſis quid ſignificet. 236

T

TApinoſis, quæ res deijcit, quid ſignificet. 238
Temperamenta indicant hominum mores. 222
Topographia, & Chronologia quid ſignificent. 237
Translatio quotuplex. 233
Translatio vibis, & de rebus inhoneſtis quid ſignificet. 234
Tropus quotuplex. 235. vſq; ad 239
Tropus quid ſit. 236
Tropus quid ſignificet. 235

V

VArietas corporum dictionum oſtendunt patriæ diuerſitatem. 229
Vocis corpus quid ſit. 228
Vocibus alienis vti quid ſignificet. 231
Vox quomodo conſideranda. 229
Vox, ſeu verborum quid ſit, & quæ circa ipſam conſideranda ſint. 223. & 229
Vox hominis conceptus exprimit. 228
Vox ſequitur naturam proferentis. 230

Z

ZEugma quid ſignificent. 236

FINIS.

Vidit D. Iuuentius Torti Clericus Regularis S. Pauli Pœnitentiarius in Metropolitana Bononienſi, pro Illuſtriſsimo, ac Reuerendiſſimo D. Hieronymo Boncompagno Archiepiſcopo, & Principe.

Imprimatur.

Fr. Paulus Hieronymus Giacconus de Garrexio Sac. Theolog. Magiſt. Ord. Præd. Vicarius Generalis S. Officij Bononiæ.